


1906
1902
Sacra
Oblati

33



42

21205

~~9-8-83~~

620097670

DE RECTA
SACRIFICII OBLATIONE,
& Ceremoniis ad Missam, ad sanctissimum
D.N. Paulum tertium
PONT. M. per Petrum
Antonium Beuther
sanctitatis eius
prædica=
torem Apostolicum.



LUGDVNI, APVD
GASPAREM
TRECHSEL.

1544.

AD LECTOREM,

Habes, Lector, hoc paruo co,
dice, quo ritus sacrificium Chri,
stianum celebrabatur antiquitus
ab apostolis, & Christianis primæ,
uis: Insuper excrescentias temporis no-
stri, & quis Papa quid apposuerit anti-
quæ cōsuetudini, quid significant uerba,
quid repræsentent ceremoniæ.

REVERENDISSI
MO DOMINO E. DE VILLA
obos, Episcopo Luceriensi olim, nunc Squil-
ensi, sanctissimi nostri tertij Pauli Pont. M.
Camerario selecto, dignissimoq; Petrus
Antonius Beuther theologus.



MPLITVDINE TVA, REVE
rendissime Präful, procurante, san-
ctissimus D. N. iussit mihi, quum
Romæ agerem, cum doctore Sco-
to quādam disceptationem habere:
Vnde & me fauoribus plus, quam vel cogitas-
sem, vel ausus fuissim desiderare, prosequuta est
beatissima humanitas eiusdē sanctissimi domini
nostrī. Profuit autem vel ad hoc gratia illa ma-
xima, ut gratus videri nitar sanctitati suæ, & tra-
ctatum hunc, quem ante decennium de ceremo-
nijs ad Missam edideram, concinnare, limareq;
curauerim, & sanctitatis eius dicare beatitudini.
Suscipe igitur, Präful dignissime, patronoq; mu-
nificentissime, & qui me ad conspectum san-
ctitatis suæ introduxisti, opusculū vicarium mei
ad beatissimos pedes deosculandos presenta, inq;
gratiam suam commenda. Vale, Valentiae Idib.
Iulij, Anno domini, 1541.

A ii

60

AD BEATISSIMVM
AC SANCTISSIMVM D.

N Paulum tertium huius nominis Papam,
post beatissimorū pedum oscula, Petrus
Antonius Beuther felicitatē.



O T A B V N T F O R T A S S I S
Beatissime, ac sanctissime pater,
qui viderint opusculū hoc, vel me-
am præsumptionē, qua in tam ex-
cellentem materiā homuncio irru-
perim, vel temeritatem, qua stylo dictata humili,
incultaq; nomini sanctitatis vestræ dicare non
erubuerim, & meritō quidē propterea reprehē-
dendus fuerim, nisi consultis nostræ religionis
columinibus, ingenijs eorum, & afflatibus aggres-
sus esset arduam, difficilemq; prouinciā. Atq;
nisi multiplicibus experimentis mihi verē cogni-
ta esset humanitas sanctissimæ beatitudinis ve-
stræ, qualem decet habere patrē totius Christia-
ni populi. Imo quū literaturam, ampliamq; beni-
gnitatem sanctitatis vestræ, pater beatissime, no-
uerim, audaculus factus sum ad negotium tantū,
confisus propensiore benignitate tali ad condo-
nandos defectus, & in debitum modum linea cor-
rectionis reformatos, quam ad seueritatem cen-
suræ examinandos. Sulcipiat igitur celsitudo bea-
titudinis vestræ, pater sanctissime, opusculum so-
la materia dignū nomine vestro. Nam quem di-
gne promerebitur tractatus de sacratissimo sum-

moꝝ sacramento, nisi summum sacratissimumꝝ
Pontificem? Et inter tot curas, & distrahentes
anxietates, inueniat locū, & tempus cum lectioni-
bus literarum sacrarum, tractatibusꝝ similium
rerum, quod peculiare est Pauli tertij, agatqꝫ vi-
ces in cōspectu sanctitatis vestræ beatissimæ pro
obseruantia, quæ à me debetur sacrosanctæ ec-
clesiæ Romanæ obtineatqꝫ benedictionem, quā
largiri dignetur vestra beatissima sanctitas capel-
lano, cōcionatoriꝫ suo pro felicitate vestra oran-
ti. Valentia, Idibus Iulij, Anno domini. 1543.

PROLOGVS IN TRA- CTATVM DE RECTA SA- crificij oblatione, & ceremonijs ad Missam.

IN STANTB HORA, QVA
discessurus erat ad patrem Domi-
nus, colophonem vltimum operis
sui impositurus, nouam illam me-
moriā omnium suorum mirabi-
lium sacraturus, suffecturusꝝ vicarium suum, di-
xit Simoni Petro, vni pro omnibus: Quis putas
est fidelis dispensator, & prudens, quem consti-
tuit Dominus super familiam suam, vt det illis Lucas
12.f.
in tempore tritici mensuram? Quasi planius di-
xit voluisse: Olim quum inhiaretis ad priua-
tum, exterrui vos, vt disceretis animaduertere,
& culmen, & onus præfecturæ. Siquidem disce-
ptantibus vobis de prioratu, quis vestrum vide-

P R O L O G V S.

retur esse maior, argumentabatur unusquisque sibi
primatum pro consanguinitate; pro vocationis
antiquitate, aut certe pro familiaritatis preroga-
tiva: tunc quasi rem tam seriam iudicio finitus,
residens, statim partulū in medio, dixitque: Si quis
vult primus esse, erit omnium nouissimus, &
omnium minister, ut puer, omnibus benevolus,
in omnibus purus. Non est unde a vobis arro-
gadus sit principatus, est autem unde refugiēdus
sit, ac timendus, non appetendus. Hæc pro tem-
pore dixi, ut semel institueremini ad dignitatē nō
temere ambiendā. Nunc quū instet hora trāsitus
mei, quando primates omnes vos creandi sitis,

tum super omnes Petre, memoriam hanc vestra-
rum contentionum volui refricare: ut consultius
perspectiatis, quæ vobis agenda incumbunt. Pa-
rum vobis videtur esse præpositū? Unusquisque
iam sibi arrogat principatum. Se itote autem,

quia grandem habet in se maiestatem. Non est

Luc. 22 Gerson ordinat sic lites
ram. c. 133. mœc no.
Matth. 24. d.

indiscretè cuiusvis dignitas huius ministerij. Est
quæ magnum expetat apparatus, utpote cuius
intersit cæteris prouidere, cæteros quoque alimo-
nijs spiritualibus pascere. Quis putas est fidelis ser-
uus, & prudens, quem constituit Dominus super
familiā suā, ut det illis cibum in tempore? Hoc
nobis Domini verbum consideratione maxima
venit penitandum, ex temporis circumstantia,
quo discipulis illud dixit: & qualitate nego tij, ad
quod tam saepe illud inculcauit. Manifestè pro-
fectò datur intelligi, quod vel in primario totius

ecclesiae

ecclesiastice domus Petro, aut Petri successore,
 vel in quolibet alio surrogato archiepiscopo, epi-
 scopo, parocho, & simplo facellano fidelitas expe-
 titur, & prudentia in pabulis signanter admini-
 strandis pro definita mēsura, iuxta canonicas san-
 ctiones. Hoc est ministerium tremendi mysterij.
 Hæc est mēsa dominicae, sacrosancti alimenti
 administratio. Vnde clarissime patet, quām re-
 prehensibilis fiat imprudentia negligentiarū mul-
 tarum, quæ circa spirituales sacramentorum ali-
 monias contingunt: præsertim sacrosanctæ eu-
 charistiae, quod vnde sanitas vegetior sumenda
 erat, multis indignè ministris morbus letalis ac-
 crescat. Et qui per sanctam eucharistiam ad ampliorem acceptandi erant gratiam Dei, inde dete-
 stabiliores euadant, ut in mortem vertatur talibus ipsa vita: Scilicet originantur hæc deploran-
 da ex indigna tanti mysterij contrectatione, ex ir-
 reuerenti ministratione, & indigna communio-
 ne, infidelitate finaliter interueniente, & impru-
 dentia, tanto culpabiliori, quanto consuetiori.
 Qui enim indignè (ait Paulus) manducat, & bi-
 bit: iudicium sibi manducat & babit, non diudi-
 cās corpus Domini. Ideo inter vos multi infir-
 mi, & imbecilles, & dormiunt multi. Itaque pro-
 pter huiusmodi communionis indignæ temorita-
 tem, & attentionem, à Domino plexi multi sunt
 infirmitatibus, malis valetudinibus, & tan-
 tè morte. Ne igitur simile quippiam nobis accidat,
 aggressus sum hanc difficultem prouinciam de rea

P R O , L O G V S .

Eta sacrificij oblatione. Et quāuis difficile sit con-
sueta mutare, cōmunicj vſu ſemel inueterata diſ-
ſuadere, conabor tamen hoc iſto tractaculo con-
gruam ſacri mysterij repræſentationem depinge-
re, & eam ſuis limitibus apud noſtrates reſtitue-
re. Habet suas defiñitas ceremonias Christiana co-
moedia (vt ita vocabulo abutar) nec potest ſtare,
vt ſuo quicq; iudicio illam repræſentet: cui ſicut
Verba determinata ſunt, & preſinita, ſic & cere-
monia. Sunt enim ipſe, ſicut & verba ſuæ ſignifi-
cationis, quam à primis impoſitoribus habuere,
imò à ſpiritu ſancto, ſicuti per verba, quibus cōiu-
gantur, eſt facillimum deprehendere. Quod quia
per plures ſcioli non perceperē, ipſi ſibi finixerunt
ſuas quas voluerunt, ſignificationes: & ſecun-
dum eas ſic repræſentarunt. Vnde deriuatæ ſunt
mille differentiæ ceremonia rum, quibus nō ſtan-
tibus, quoniā ſibi inuicem multæ contrariæ ſunt
& repugnantes, neceſſarium eſt ad fontem reuer-
ti, & riuiulos diuiſos dimittere: & ab ijs partibus
ſanctis ceremonias habeamus, a quibus verba
ſancta ſuſcepimus. Si tamen inde habere nequi-
bimus, ex verbis ſaltem ſibi coniugatis habeas-
mus. Quod credo utiſſimum fore volentibus
deuotè, prudenter, & fideliter Domino miniftra-
re. Spero autem ſanctum ſpiritu dictaturum no-
bis omnibus vias ad finem desideratum conſe-
quendum: quoniam & in eius currimus gratiā.
Non enim ſufficientes ſumus cogitare quicquā
boni à nobis, quaſi ex nobis: Sed ſufficientia no-
ſtra

stra ex Deo est per spiritum sanctum, qui datum est nobis. Erit igitur, si quippiam bona considerationis occurrerit, à spiritu sancto datum arbitrari, qui ad suorum reformandos spiritus, quibus vult, utitur instrumentis. Si vero sanguis doctrinæ obuium quicquam, quod absit, fuerit reprehensum, non adscribatur animæ malevolæ, quum malum in erratis à doctoribus emendari, quam pertinax ab inscijs iudicari. Sacrosancta mater ecclesia Romana diffiniat, & eius censuræ ab omnibus obtemperet, quæ nacta est spiritu sanctum perpetuum gubernatorem.

S E Q V V N T V R A L I .

quot Praæambula.

Quid sit Missa, & de eius nominibus.

Praæambulum I.

ANTE QVAM PROPOSITUM aggrediamur, opportunū censui aliquot praæambula tractatui anteponere, quibus facilius expediatur negotium. Primum igitur est de sacrificio nostro quid sit, & quo respectu, dicitur usuali nomine & vulgato Missa. De primo: Sacrificium nostrum est realis oblatio veri corporis, & sanguinis Domini nostri Iesu Christi, ad quam faciendam necessarium est consecrari & corpus & sanguinem, quum aliter non ha-

Quid
est sacri
ficiū no
strum.

A v

PRAEAMBVLVM I.

beatur à nobis realis eorum præsentia. Vnde Rabanus: Missa est legatio inter Deum & homines, cuius legationis officio fungitur sacerdos, ac vota populi, per preces & oblationes ad Deum offerit. Ecce quid sit sacrificium Christianum, in eo differens à veteribus, & prime legis naturæ, & secundæ legis scripturæ: quod in illis offerebantur solum huius figuræ, in nostro tamen vera res figura, videlicet Christus Dominus noster, verus Deus, verus homo, habens omnia ea, quæ necessaria sunt ad humanitatem. Ea autem sunt, quædam ex parte corporis, quædam ex parte animæ. Corporis partes sunt septem: caput, pectus, manus duæ, pedes item duo, & proctale: haec quidem in aperto sunt. Sunt item septem corporis gradus ab imo in superficiem: medulla, os, neruus, vena, arteria, caro, cutis: Membra item semptem, lingua, cor, pulmo, iecur, lien, renes duo: Septem item alia, quæ ad cibum, & spiritum accipendum reddendum sunt deputata: guttur, stomachus, aliud, vesica, & intestina tria: septem item compagines

Macro. iuncturarum in manibus, & pedibus. De quibus Macrobius à Physicis mutuatus latè disseruit.
sug som
natio Sci-
pi omis.
Lactæ. Lactantius etiā in libro de Opificio dei. Animæ autem potentiae sunt: intellectus, memoria, voluntas, & ea fine corpore etiam exercitia sua operantur. Virtutes vero multæ sunt, quæ corpus requirunt, prout sunt sensitivæ, animales, & naturales: quibus sua in corpore deputantur organa. Hæc isto modo adnotasse sufficiat, quum plurima tra-

Etentur

Q V I D S I T M I S S A .

Etentur à naturalibus. Ecce quid corpus comprehendat, quid anima importet. Sed & sanguis cum reliquis humoribus ad glutinum animæ cum corpore necessarius est. Cōcluduntur omnia hæc humanitatis nomine. Duo igitur offeruntur in sacrificio nostro principaliter. Ea sunt corpus primò, in quo passiones complectimur corporales usq; ad mortem perduentes Christum: Sanguinem deinde, in quo spirituales agonias etiam intimamus, usq; ad mortem animum Domini acerbissime angustiantes. Hæc sunt qua' nos ipse met Christus docuit offerre Deo, hæc sancta sacrificia nostra. Olim sacrificauit Adam vitulum de primis illis à deo creatis animalibus, iuxta intellectum illius sexagesimi octaui psalmi, Placebit Domino super vitulum nouellū cornua producentem, & vngulas. Sacrificauit, inquit, id est sacram fecit mactādo, & igne cremando carnes: secundum quod & Iudai habent in suo Targum sit dicente, Et placebit Domino oratio mea magis, quam bos crassus & electus, quem appropinquit, id est sacrificauit Adā primus: cuius anticipauerunt cornua eius vngulas suas, id est non prius fuerunt, sed simul: quia fuit de primis creatis. Obtulit igitur Deo vitam eius animalis, protestatus ab eo ipso Deo omnia deriuata, simul & aduertendo peccatum suum opera Messiae delendum: sed non nisi morte interueniente ex charitate Dei miserentis. Vnde vitam illam vituli gladio dedit, & carnes rogo. Sic Abel edocitus à pa-

Targ.
Figuero
ra. i. par
te, ge. 4.

PRÆAMBVLVM I.

tre, & cæteri succedentes usque ad Abraham, sa-
 crificauere suscepitq; incrementa cultus diuinus
 temporis discursu. Nam & Enos coepit inuocare
 nomē Domini, id est ceremonias adaugēs, actio-
 ni sacræ voces addidit deprecatorias, nomen ex-
 primens Domini tetragramaton, prout etiam
 intelligunt Hebræi. Et Abraham sacrificandorū
 animalium genera delegit monitu Dei : ut iam
Ge. 11. deinceps, qui esset sacrificaturus, non nisi de bo-
 bus, quibus aut capris, earumve foetibus esset
 hostiam electurus. Quod si de alitibus vellet, scia-
 ret vel turturam, vel palumbem debere suscipere
 in sacrificium. Omnes hi sacrificantes commune
 cum Adam propositū habuere, videlicet in pro-
 testationem, & gratiarū actionē animalia immo-
 lare huiusmodi. Sic Isaac post visionem altare
Ge. 26.c ædificauit, & inuocauit nomen Domini. Jacob
 etiam victimas mactat Deo patris sui Isaac. Ve-
Ge. 46. runtamen aliquorum etiam fuit vltra prædicta,
 petere sacrificando aduentū Messiae, acceleratio-
 nesq;. Quoniam peculiares eis contigerant de
 Messia revelationes : iuxta quas addimenta
 quædā sacrificijs in agendis ceremonijs apposue-
 runt, a suis posteris seruanda. Tale fuit legis na-
 turæ sacrificium. Successit Moses, dictata susci-
 piēs de manu Domini: & accreuit sacrificijs mul-
 titudo ceremoniarum. Et quum liberum esset sa-
 crificare volentibus, de quacunque specie sume-
 re animalis mundi ad victimam, sicut olim Noe
 fecerat: æstatis iam sacrificijs ad prædictas quin-
 que

que species Abrahæ reuelatas, addita fuit conditionum, & qualitatum multarum obseruantia: prout ex toto procello Leuitici colligitur: quicq; in omni loco liceret sacrificare, iam nō nisi in certo loco licuit: vt patet ex Leuit. 17. & Deuter. 12. Multe quoq; obseruantiae fuerunt p̄finitæ in ipso modo, & forma sacrificandi iuxta species sacrificij, tam circa ministros, quam circa sacrificandi actum. Id autem p̄cipue adnotandum est, quod cum lege illa quæcūq; animalis occisio in reverentiam Dei, ad carnes cremandum in altari, sanguinemq; fundendum dicatur sacrificium communi vocabulo: propriæ tamen sacrificium dicebatur libamen, & inter libamina, simila, siue farina pura. Ad cuius notitiam considerandum est, quod in oblationibus principale quod offerbatur, erat animal, vt carnes eius cremaretur in altari: & hoc vocabatur victima propriæ, seu hostia: & impropriæ, siue nomine largo sacrificium. Apponebantur autem carnibus illis, quando cremabantur, quedam quasi condimenta, que erant quinque: videlicet vinum, oleum, sal, & thus: quæ vocabantur libamina. Numeri. 15. Ista vocabantur propriæ sacrificia: quia licet accessoria essent carnibus illis, tamen principalior solennitas illius actus Deum colendi consistebat in eis. Ipsa enim sanctificabant, & sanctâ faciebant, ac consummatam actionem illam: vt patet ex textu Nume. 28. per totum, & 29.b. Vbi inter cætera sic dicitur: Offerre solent in expiationem holocaustum in sa-

Leuit.
17.
Deut. 12

Nume.

Nume. 28.
& 29.

PRÆAMBULVM I.

crificio, & libaminibus suis, siccis sacrificij nomine farinam comprehendit, nomine vero libamnum, quatuor alia: videlicet vitum, oleum, sal, & thus. Hæc adnotasse sufficiat. De quibus unusquisque vere catholicus potest coniectare, quid cuius sit figura: quum iuxta Apostolum: omnia sic Iudeis contigerint in figura. Cæterum de gentium sacris non est ad propositum sermo. Incepit autem huiusmodi nostri Christiani sacrificij ritus a Domino in cena ultima, qua concœnatis secum duodecim discipulis, seipsum in sacramento initato dedit epulum, sanguinem suum in poculum sumendum ad animæ munimen, & spiritualem alimoniam. Qua simul actiore, & duodecim suos monuit, qualiter in posterum credituros formaret memoriale Domini secundum sempiterno seruare: & eos deinde duodecim præmuniens, roborauit contra plurimas venturas tentationes, dicens: Hoc facite in meam commemorationem. Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis. Vide autem quid notare velit Paulus, dicens: In qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens Dominus, dedit discipulis suis, dicens: Accipite, &

I. Cor. 10. c.

manducate: Hoc est enim corpus meum. Emphas in habent subnotata hora suæ traditionis, causas salitasque sumendi: quum apud Matthæum interponitur, enim, ut aduertamus, quasi intellectus apostolis dixisse voluisse Dominus: Hoc robore fortis estote contra venturam tentationem. Compleui quod dixeram; Nisi qui manduca-

Lucæ: 22. c.

I. co. 12. f.

Matth. 26. c.

ducauerit carnem filij hominis, & eius biberit san-
guinem, nisi eius fuerit virtute alimentatus, non
habebit æternam vitam. Hoc vos terruerat o-
mnes. Ecce māducatis, & bibitis corpus & san-
guinem meum, & non terremini. Sic à me disposi-
tum est. Estote igitur virtute hac robusti, sperate
me completurum, quæcunq; promiserim. Nullæ
vos turbent, quæcunque vobis incoucinnae vi-
deantur diaphonizæ. Ventura sunt, quæcunque
venient, suis significantijs. Estote constantes, fixi-
estote: habetis vnde firmem ini, spiritu videli-
cet per hoc sacramentum in vobis aducto. Ha-
bet in se hoc sacrificium roboris vim, habet in
se animæ virtutem. Docetote hoc gentes vniuer-
sas; ponatur in usum nationibus mundi totius.
Hoc facite in meam commemorationem. Ecce di-
uinum institutum, ecce primitias Christiani sa-
crificij. Realiter enim tunc Dominus obtulit pri-
mò suum sacrosanctum corpus (& in eo torturas
omnes retrò iam latas, & subinde iamiam feren-
das) sub sacramento Deo patri in profectum suo
rum: quamuis nondum actu id obtulisset, per cru-
cem, sanguinem: item & in eo spirituales agonias,
spiritumq; illum superlatiue hiantem nostræ sa-
lutis obtulit patri, licet nondum effusus esset in
cruce. Quoniam iuxta Hieronymum, quomodo
Melchisedec summi Dei facerdos panem & vi-
num offerens fecerat: ipse quoq; Dominus verita-
tem sui corporis, & sanguinis repræsentauit. Ob-
tulit ergo quum consecravit, Beda etiam super

P R A E A M B U L V M I.

Marcum, ait: Pro carne agni ac sanguine, sui corporis & sanguinis sacramentum substituere voluit, & se esse monstrare, cui iurauit Dominus, &

D e con-
sec. d. 2.
script.
Cypria-
nus.

non poenitebit eum: Tu es sacerdos in aeternum, secundum ordinem Melchisedec. Cyprianus quoque dicit, quod Dominus in cena obtulit calicem vi-

ni mistum aqua. Nec ista oblatio in cena facta obest, ne unica dicatur oblatio facta in cruce: quia reuera unica fuit mors, & ita unica oblatio cum morte. Hac domini celebris institutio, quam

uis modum nobis non expresserit agendi, quum

is apostolis seruaretur, prout dicetur secundo

D e con-
sec. d. 2.

præambulo, tria agenda designauit: Videlicet consecrationem, oblationem, & communionem.

Liquido.

Non enim à se fas est separari. Propterea namque rigidè reprehenduntur per concilium Toletanum duodecimum sacerdotes illi, qui sexies aut septies eadem hora sacrificia consecrabant, & offerebant: communione verò se usque ad ultimum suspendebant, communicantes in fine, omnibus illis consecratis formis. Habetis igitur satis abunde, prout opinor, quid sit sacrificium nostrum, quomodo præsignatum olim sacris veteribus, & quo institutum. Loquimur autem de sacrificio nomine propriè sumpto:nam transumptuè nominantur in sacris literis sacrificia, orationes, opera penitentialia, & misericordia, opera de consilio etiam, de quibus late sancti doctores tractat.

DE

PRAEAMBULUM I.
DE SECUNDA PARTE
HVIVS PRAEAMBULI. QVA-

re dicatur Missa, & de alijs nominibus
sanctissimi sacrificij,



V N C E S T V, I D E N D V M,
quo respectu dicatur Missa, qui-
busq; nominetur nominibus. Missa
quidem ab Hebræis dicta est, quod
sacrum mysterium sit. sic enim ap-
pellant sacrum mysterium, prout etiam inter no-
strates Iohannes Eckius scribens de sacrificio Mis-
sa nuper notauit. Quod iam olim Figuerola Va-
lentinus canonicus scripserat. Congruè quidem
Hebraico vocabulo nominatur sacrificium no-
uum, quod est Hebraicorum omnium sacrificio-
rum conclusio. Nec desunt, qui affirant Hebraic-
a lingua fuisse solitum celebrari sacrificium hoc
sanctum in ecclesia primitiva, dutasseq; morem
hunc ab apostolis, vsque ad tempora Cæsaris
Adriani. Sunt autem, qui velint vocabulum hoc
nostrum esse: ut quum Hebraicum sit, etiam Latí-
num cognoscatur. Augustinus enim in sermone
de corpore Christi ait: Recolite nomen, & aduer-
tite veritatem. Missa enim èo dicitur, quod cæle-
stis missus ad consecrandam hostiam, adueniat,
iuxta dictum sacerdotis: Omnipotens Deus, iu-
be hæc perferti per manus sancti angeli tui in su-
blime altare tuum. Hæc ille. Hugo etiam de san-
cto Victore dicit Missam dici, quasi trāsmissam.

Eckius
Figuerola p-
t.e.j.

Augu.

Hugo.

B

Q V A R E D I C A T U R M I S.

eo quod populus per ministerium sacerdotis, qui
mediatoris vice fungitur inter Deum & homi-
nes, preces, vota, & oblationes transmittat Deo.

Roper.
Tuitiē.
4. Sen-
tent. d.
24. i. iiii.
Eiusdē est sententia Ropertus Tuitiensis libro. 2.
capite vicesimotertio de diuinis officijs. Iuxta
hęc Petrus Lombardus, magister sententiarum,
dici putat Missam, quia per eam hostia mitra-
tur, cuius commemoratio in eo officio fiat. Vnde
dicitur: Ite, Missa est. hoc est, sequimini hostiam,
quae missa est, post eam ad cælestia tendentes.

Sufficient hæc de nomine Missa, quo a sanctis
patribus, è primitua ecclesia usq; ad nos, nomi-
natum est sanctum sacrificium, prout est videre
in distinctionibus de cōsecratione latissime. Dio-

Diony-
sius ca.
iij. de
ecclie.
Hierar.
nysius in libro de ecclesiastica hierachia Synaxin
vocat, id est collectionem, eo quod perfecte ad
vnum illum statū, quo Deo iungimur, colligat:
vocat etiam eucharistiam, id est bonam gratiam:
quia super gratias omnes ea bona gratia est, qua
nobis fere dat Deus, & Dominus noster. Bona
itaq;, & per quam bona gratia est. Vnde inolevit
v̄sus, Græcanico isto nomine sacramentum san-
ctissimum corporis & sanguinis Domini nomi-
nare, propter excellentiam. Igitur increbuerunt
nomina tantum sacrificium significantia multi-
plicato fidelium coetu: & pro mysteriorum aduer-

Basilij.
tentis, diversis nominauerunt illud doctores no-
minibus. Basilijus, duliam & liturgiam nomina-
uit, & cum eo Græcorū multi: id est sacrificium
seruitutis, siue ministerij sacerdotalis. Apud nos

Gregorij

Gregorius in fine Dialogorū immolationē in via
cat, quum ait: Quis dubitat in ipsa immolationis
hora &c. & hoc pro antiquorum vſu, qui omnia
sacrificia, quæ per occisionem animalis fiebant,
immolationes vocabāt: quia ordinata lignorum
ſtrue super altare lapideum, imponebant ibi ſacri-
ficandum animal, ac ibi iugulabant. Dein accen-
ſis lignis comburebant ibi carnes. Quod si bela-
lo imminentे hoc fiebat, implorando cæleſte au-
xilium contra hostes, hostia vocabatur: uidelicet
pro impetranda victoria. Quando verò iam para-
ta victoria pro gratiarum actione ſacrum facie-
bant, victimam nominabant, quia pro iam vi-
ctis hostibus. Damascenus autem cōmunionem
ideo dicit ſacrum hoc vocandum, & ſacrificium;
quod eò fideles inuicem, & cum Deo conueni-
mus, iuxta Apostolum: Calix benedictionis, cui
benedicimus, nonne cōmunicatio ſanguinis Chri-
ſti est? Et panis, quem frangimus, nonne partici-
patio corporis Domini est? Quoniam vnum pa-
nis, & vnum corpus sumus, omnes quidem de
vno pane, & de vno calice participamus. Vnde
Augustinus in sermone de ſacrificijs fidelium ait:
Propterea ſicut etiam ante nos intellexerunt ho-
mines Dei, Dominus noster Iesus Christus cor-
pus & ſanguinem ſuum in rebus ijs nobis com-
mendauit: quia ad vnum aliquid rediguntur ex
multis. Escam ergo illam manducare, & potum
illum bibere, est in Christo manere, & illum in ſe-
manentem habere. Idem etiam in alio sermone,

Grego.
4. dialo.
c. 38.

De coe-
sec. d. 2.
qui ſit
ſanguis

Dama-
ſenus.
1. Cor.
10. d.

Augus.
Sermo.
Fer. 2.
Paſch. 2.

Augus.
Sermo
ne ad in-
fantes.

Q V I D S I T M I S S A.

Beda.

quem Beda citat in Collecta, ait, Recolit: quia panis nō sit ex vno grano, sed multis. Grana multa pendent ad botrum, sed liquor granorum in unitatem confunditur. Qui ergo accipit mysterium unitatis, & non tenet vinculum pacis, non accipit mysterium pro se: sed testimonium cōtra se. Hæc ille. Viaticum verò nominatur, quia sicut Eliae datus fuit cibis ad virtutem corroborandam, ut ambulare posset vias difficiles: sic per hoc sacramentum corroboratur virtus ad agrediem̄ intrepidè viam vniuersæ carnis ad mortem visionis Dei beatæ, dolores mortis moriturum circundantes, viriliter superando. Vnde in Canonibus sacris hoc nomine viaticum nomina tur, quum de sacramento isto tractatur sumendo a proximè morituris. Sic & eius sacrificatio pro tunc viaticum quoque nominatur ab antiquis, quamvis non ita coimmuniter hæc duo proximè dicta nomina, communionis & viatici

Missa conueniant prōprie. At è sacramento transsumuntur etiam ad sacrificium. Sicut

econtra nomen sacrificij, quod pros-

priū Missæ est, transfertur etiam

ad sacramentū. Hæc de Præ-

ambulo primo. Quid sit

sacrificiū nostrū, &

quo nomine a

diuersis no-

mīne-

tur.

Secundum

SECUNDVM PRAE-

ambulum.

De Ceremonijs canonicijs Missæ
primarijs, & proprijs.



ECUNDUM PRAAMBULUM: esto: quod præter hanc Missam significationem, sumitur nomine largo Missa pro representatione, & ceremonia huius oblationis, in qua memoria Domini rememoratur, iuxta illud Domini: Hæc quotiescumq; feceritis, in mei memoria facietis. Vnde Augustinus: In verbis Christi sacrificia conficiuntur: reliqua omnia, quæ sacerdos dicit, aut clerus chori canit, nihil aliud sunt, quam gratiarum actiones, aut certè obsecrations, & fidelium petitiones. Itaq; nedum Missa complectitur consecratæ hostiæ oblationem, sed etiam ea quæ a sacerdote, vel choro cleri cantantur, & aguntur in celebratione ista in memoriam Domini. Nemo tamen existimat, q; hic represententur omnes quæcumq; Christi actiones: quoniam nec nos de illis plenè formati sumus, dicente Ioh. 14: harine euangelista: Multa alia sunt, quæ fecit Jesus: quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitrör mundum capere posse eos qui scribendi sunt, libros, quum tamen euangeliū Iohannis fuerit suppletivum eorum, quæ a reliquis euangelistis reliæta fuerant: priout Theophilactus ait. Item non

De con-
sec. d. 2.
victut
sub circ
ca fine.

Ioh. 14:

Theos
phila-
eus int
proto-
go sup
Euans
g. livid.

B. iii

PRAMBVLV MII.Act. 20.De ce-
lebra.
miss. c.
eū Mar
chæ.

omnia, quæ Christus in illo triennio suæ prædi-
cationis dixit, scimus: quanto minus ea, quæ egit
in tota vita. Notum est, quod Paulus testatur di-
xisse Dominum: Beatus est dare, quam accipe-
re, quod certè nusquam reperitur in textu euangeli-
orum. In uocentius item huius nominis Papa
tertius ait: Sanè multa tam de verbis, quam de fa-
ctis Dominicis inuenimus ab euangelistis omis-
sa: quæ apostoli vel suppleuisse verbo, vel facto
expressisse leguntur. Non ergo repræsentantur
nobis vniuersa gesta Christi, in hac spirituali re-
præsentatione. Hæc insuper ea omnia quæ in euangelijs
continentur: quod sic patet. Nam scimus
per euangelia Christi baptismata solenne, constan-
tissimum quadragesimale ieunium, temptationem,
versutam diaboli calliditate propositam, & similia.
Quæ tamen omnia nullis ceremonijs repræ-
sentantur. Volutarium erit profecto, catens in-
firma etiam ratione, dicere: omnia Christi gesta in
hac repræsentatione ceremoniali. Dicant huius
positionis defensores, ubi repræsentetur Christi
coena apud Zacheum? Vbi apud Simonem lepro-
sum? Vbi coniuicta quinque panum, & duorum
piscium? Septem panum & pauculorū piscium,
quæ famatissima fuerunt tempore illo vita Do-
minis. Dicant ubi aquæ in vinū mutatio? Vbi re-
presentetur prima prophenorū ē templo eiectio?
Vbi quadriduani Lazari resuscitatio? Quod
quum non possint ullis colorare figmentis, in du-
bium restat, in hac sacra Missæ actione nō omnia
Christi

Christi g̃esta repræsentari, quamvis famosissima,
sed ea sola generaliter, quæ ad vitæ suæ deceßum
intercidere: eiusq; mortem & resurrectionem sub-
secuta sunt, ut pote per sancti huius sacrificij vera-
ba intimata: sicut sunt ea omnia quæ spectant ad
consecrationem, oblationem, & communionem.
Ecce propriam representationem huius ministe-
rij, quæ in canone agitur, de quibus fusius tracta-
bitur, quum de canone agetur. Hæc tamen repres-
entatio, quamvis sit vnius solius sacrificij apud
nationes quascunq;: non tamen eadem est apud
omnes. Aliter enim representamus nos, quam
Græci. Aliter etiam Aethiopes Christiani repres-
sentat, quam Rolsiani. Sicq; de alijs gentibus ins-
titutis a suis apostolis: secundum quod sortiti
sunt ministeria sua duodecim Domini electi,
quorum etiam adhuc instituta nationes quedam
se assuerant asseruare. Quod, ut notius fiat, no-
tandus est ritus Græcanicus a beato Dionysio
descriptus in libro de ecclesiastica hierarchia. Sic Diony-
sius. enim ordinat Missam, capit. 3. parte. 2.

- 1 Pontifex supra sacrosanctum alrate orat.
- 2 Ab altari incensum adolere incipiens phanum
circumit.
- 3 Ad altare rediens psalmos cum ecclesiasticis
ordinibus canit.
- 4 Sacrarum scripturarum lectio recitatut.
- 5 Post sacram lectionem catechumeni, apostas-
ta, energumeni, & pœnitentes extra templum
aguntur.

6. Intus soli manent, qui diuina videre merentur,
pontifex, sacerdotes, ministri, & plebs sancta.
7. Ministrorum quidam clavis templi foribus
stant, quidam altaribus inseruiunt, alii quisque,
quod suum officium est, peragit.
8. Omnia catholica laus, & symboli fidei con-
fessio canitur.
9. Ministrorum præcipui cum sacerdotibus san-
ctum panem, & benedictionis calicem sanctis
altaribus imponunt.
10. Pontifex omnibus pacem nuntiat.
11. Se castissimo pacis osculo salutant omnes.
12. Postea mystica piorum sanctorum recitatio fit.
13. Pontifex & sacerdotes manus ablunt.
14. Pontifex ad medium sacrati regreditur altaris.
15. Eum sacerdotes, & selecti ministrorum aliqui
circumstant.
16. Pontifex post diuinorum munera laudes,
sanctissimum conficit sacramentum.
17. In conspectum agit diuinarum operationum
munera reverentur ostendens.
18. Communicat.
19. Reliquos ad sanctissimam, & consummatam
communionem adhortatur.
20. Gratias agens sine imponit sanctis mysterijs.
Ecce Græcorum ex apostolica tradi-
tione ritum, olim ab ecclesia Græca
seruatum. Vide nunc nostrum cele-
brandi ritum, Pontifice Missam dicere.
1. Pontifex super altare sanctum orat, præmissa
genes.

generali peccatorum confessione.

2. Adolet incensum altare circumiens.
 3. Versus aliquot psalmorū recitat pro introitu.
 4. Cantatis ad Dei inuocationē Kyrie eleison , ad altare medium canit Gloriam in excelsis.
 5. Salutat populum, & orationem dicit.
 6. Legitur Epistola ab hypodiacono.
 7. Cantatur in choro Respōsorium distinctum in partes suas, videlicet, Graduale, Versum, & Allelu ia, vel Tractum, pro tempore suo.
 8. Legitur Euangeliū a diacono , præmissa populi salutatione.
 9. Cantatur ab episcopo , & choro symbolum fidei.
 10. Pontifex salutat populum, & orat voce submissa, oblationes Deo offerens.
 11. Pontifex lauat manus, & iterum orat submissa voce.
 12. Pontifex iterum populū salutat, & dicit Præfationem.
 13. Consecrat, sacramenta Deo offert, per ea pacem populo deprecans, & communicat, Cacnonem dicens.
 14. Cantatis à choro aliquot versibus post Communionem, Pontifex orat iterum.
 15. Demum benedicit plebem, ac soluit.
- Ex his habetur differentia notabilis representationum, & ceremoniarum Missæ, inter ecclesiam Græcam, & Latinam : quamuis nec ille ritus sic semper permanerit, nec iste noster sic ab initio fue-

rit. De Græco quidem inde patet, quod Basilius annis multis Dionysio posterior, multas addidit obseruantias in ritu Missæ. Nuper autem anno Domini. 1439. in consilio inchoato Ferrariae & terminato Florentia, Eugenius papa Græcos interrogauit, qui illuc conuenerant ad unionem cum Latinis de diuerso ritu in Missa: cur feruentem aquam calici infundant, & non frigidam: ante consecrationem his verbis utantur: *Vnus autem de militibus lancea latus eius aperuit, & statim sanguis & aqua exiuit. Et paulo post. Ecce stella venit, & stetit super pueri caput. Et post consecrationem, que his verbis fit: Hoc est corpus meum,* &c. His quoque verbis vterentur: *Et fac quidem panem hunc honorabile corpus Christi tui, quod autem in calice isto est, honorabilem sanguinem Christi tui, ea sancto spiritu transmutante, amen, amen, amen.* Ad quæ satis fecerunt Græci rationibus congruis. Vnde patet & nunc variasse in aliis quibus a primitua institutione ceremoniarum, addentes aliqua, quæ visa fuerunt eis opportuna. De nostro clarum est quod non ab initio ita fuit: sed accepit pro temporibus incrementa. Sicut sat is patet ex ipsomet excrescentijs: quas constat, à quibus fuerint appositæ pontificibus, prout locis suis adnotabitur. Sed postquam semel cœpimus haic materiam tractare, de modo Missam dicensi considerandum est, quod orta persecuzione contra Christianos in principio nascentis ecclesia, non potuere sancti patres congregare fideles omnium

omnium prouinciarum ad disponendum in com
muni de vnico ritu celebrādi sanctū sacrificium,
& alijs similibus. Sed vnaquæc prouincia abun
dabat in suo sensu, traditiones suorum apostolo
rum seruans. Nam apostoli verbo tenus docue
re inter cætera de sacrificio sancto. Secundū quod <sup>1. Cor.
11. g.</sup>
& Apostolus Paulus Corinthijs scripsit disposis
turum se cætera, quum ad eos venisset. Quis au
tem fuerit iste ritus celebrādi, dicetur infrā, quum
de Introitu agetur. Surrexerunt autem post apo
stolos, alij sancti patres per diuersas partes mun
di, qui conati sunt ad vnam formam reducere di
uersitatem multarum appositionum, quæ factæ
fuerant per deuotos apostolorū successores tem
poribus illarum persequutionum: nec vacarat il
luc usq; à pace data componere diuersitates ta
les. Surrexit Ambrosius Mediolani, quasi annis
Domini, 370. & composuit Missæ officiū ad di
uersa proposita ordinans, librumq; vocavit Mis
salem: faciens & edens Introitus, Collectas, Tra
itus, Offertoria, Praefationes, Cōmunia, & Post
communia. Edidit, inquam, vel ab alijs in parte <sup>Greg.
fecit
Missale</sup>
edita vndiq; corrasit. Post hunc Gregorius, iam
susceptis Missalibus Ambrosianis, edidit Romæ
alia Missæ officia, aliudq; Missale cōposuit, quasi
annis Domini, 600. Quod officium Gregorianū
dicitur. Isdem temporibus surrexit etiam Leon
der apud Hispaniā, & edidit Missale Gotthicum
dictum: in quo rededit in vnam formam diuersos
ritus celebrandi ecclesiistarum Hispaniarū secundum

Archie
piscop⁹
Toletan
nus.
cap.
140.

quod in concilio Toletano. 4. decretum fuerat,
quod in Hispania seruaretur orandi, & Missas ce-
lebrandi ordo unus, & habetur cap. 2. in actis eius
concilij. Vt tercij autem Gregorius & Leander, In-
troitus, Orationes, Tractus, & Praefationes cuim
ceteris Missæ partibus composuerunt, suoq; mo-
do unusquisq; ceremonias ordinauit. Tres igitur
celebrandi ritus concurrebant, secundum tria of-
ficia: videlicet, Ambrosianum, Gregorianum, Got-
thicum in Italia, Francia, & Hispania, quæ potio-
res partes erant ecclesiæ Latiniæ. Sed officium Am-
brosianum, vt antiquius præualebat Gregoriano.
Vnde Adrianus Papa. 98. a beato Petro circiter
annos domini. 781. conuocato concilio statuit, vt
Gregorianum, in ecclesia Romana seruaretur,
quod vt ita cōpleretur, imperator Carolus mul-
tos combussit missarios Ambrosianos: sed nec sic
dimisit clerus Ambrosianum officium. Vnde po-
stea Eugenius Papa. 102. a beato Petro circa an-
nos Domini. 824. alio congregato concilio, statuit
diuino miraculo eruditus, vt Gregorianum in
vniuersa ecclesia Romana seruatetur, præterqua
Mediolani: ubi vñluit Ambrosianum obseruari.
Quia beatus Gregorius Christi vicarius fuit, &
Pontifex summus. Ambrosius etiam Mediolani
antistes. Sicq; usq; ad hodie seruatur. In Hispa-
nia vero, quia barbaris seruiebat iam tunc, non
peruenit hoc decretum. Sed in reliquis Christia-
narum ecclesiis unum seruatum fuit officium Got-
thicum. Et succedentibus temporibus, recupera-

tis iam aliquot prouincijs Dei gratia per inclytos
reges Hispanos, seruatus fuit hic mos officij Got-
thici, vscq; ad tempora regis Adelfosi, qui To-
letū expugnauit, circa annos Domini.1100. quan-
do susceptum suit officium Gregorianum: quod
Gallicanum ab Hispanis vocabatur, instante re-
ge, qui suus fuit à regina sua consorte, quæ Gal-
licana erat, & apostolicæ sedis legato Ricardo de
sancto Victore, abbe sancti Victoris Maisilien-
sis iubente: sedebat Urbanus Papa.2. sicut autem
olim factum fuerat de officio Ambrosiano: ita de
Gotthico tunc factū est, vt scilicet officium illud
fieret in aliquot parochijs Toleti, & in facello
quodam ecclesiæ maioris, in alijs autem ecclesijs
Hispaniæ fieret officium Gregorianum. Fuit au-
tem hoc ordinatum propter miraculum, prout
Rodericus Toletanus archiepiscopus refert. Nam
quuin omnes propè reclamarent, & nollent offi-
cij ritum auitum mutare, ad duellum ex concor-
dia res delata est: vt qui victor esset, is officium
suum seruandum declarasse iudicaretur. Quumq;
victor fuisset miles, qui pro Gotthico decertaue-
rat, & rex nollet acquiescere: iterum ex condicto
statutum est, vt duo Missarij flaminī immisceren-
tur, alter Gregorianus, alter Gotthicus: & qui ex
eis illæsus repertus esset, is sine contradictione ser-
uaretur. Prosternit autē Gotthicus (res mira dictu)
illæsus omnino, & à combustione alienus, quum
statim videlicibus cunctis flaminis voracibus cō-
bustus fuisset Gregorianus, propterea persuaderi

Archie
episco
p. Tol.
C. 4. L. 1

potuit regi, ut in ecclesijs aliquot maneret ritus ille antiquatus, cui non potuit dissuaderi Gregoriani officij introductio. Extat etiam usq[ue] hodie Toleti in facello praedicto, praedictum memoriale, antiquæ consuetudinis efficax argumentum, quod vulgo dicitur Missa de Muga Arabe, vel Mozarabe, qua longe diuerso ritu a nostro, quo vtimur, celebratur dominica oblatio. Sic patet quomodo in eum ritum, quæ in Missa seruamus, peruerterimus, quem ab initio non habuimus. Et hæc de isto secundo praæambulo, circa ceremonias proprias sacrificij huius, signantes quæ Dominus circa mortem suam egit, & resurrectionem in consecratione, & oblatione, usq[ue], & communione, participâda: quæve contigerint ei, quæ omnia in canone fiunt.

D E C E R E M O N I I S ACCIDENTALIBVS, & aduentitijs Missæ.

Præambulum III.

ERTIVM PRÆAMBULVM est, quod huic representationi propria, quæ per canonē fit, accedit alia representatio extraria eorum, quæ prauia fuere sacræ huic oblationi factæ in coena, & ara crucis. Nam quum non venerit in scis hominibus sanctis, nec s[ic] abrupto & impro-

improuisò irruperit in mundum, quod n̄ il tale su-
spicauerint, aut expectauerint serui Dei, imo econ-
tra aduenit, quando fuit tempus beneplaciti eius,
patribus id per cœlestes reuelationes iam ab olim
scientibus, idq; præstolantibus, & ad id æstuanti-
bus: consequens est, vt in repræsentando sacrosan-
ctam istam oblationem, non oratione ieiuna sola
Christi mors repræsentetur, aut eius mysteriosa
operatio: sed vt præponatur prævia præcedentium
dispositionum suinina, quæ fuerunt in sanctis id
scientibus, expectantibus, procurantibusq;, vt
compleretur. Siquidem & prænouit Adam ad-
uentum Christi ad mortem, vt filios suos desper-
ditos congregaret, seruaretq;. Vnde Origenes: In-
ter prophetas autem numeratur & Adam, quia
magnum mysterium prophetauit in Christo &
in ecclesia, dicens: Propter hoc relinquet homo pa-
trem suum, & matrem suam, & adiuvarebit uxori
suæ. Abraham quoq; exultauit, vt videret diuinum
Dominum: vidit, & gauisus est. Et ne per singulos,
qui prænouerunt ab initio mysterium hoc, discur-
ram, exemplo uno comprehendam vniuersos, Io-
seph coniector ille, patriarcha nobilis, & prophe-
ta, quum in extremis ageret, fratres suos adiura-
uit: vt asportarent ossa sua ex Aegypto in terram
promissionis sepelienda: vbi etiam omnes, qui si-
dem rectam habebant, sepeliri desiderabant. Sed
cur hoc? Neinpe vt cum resurrecturo quondam
Christo conresurgerent: sciebant enim eum veni-
turum, morituruin, & cum multis resurrecturum.

Origenes ho.
2. super cantica.

Ge. 2. d.

Ioh. 3. g

Genes. 50. d.

Lytan^s
super Ge. 50.

Vnde nec sunt fraudati à desiderio suo , dicente
Matth. Mat. Multa corpora sacerdotū, qui dormierāt, sur-
27.f. rexerunt. Constat igitur de notitia, quā patres ha-
Figues buerunt de oblatione ista sanctissima. De promis-
rota ca- sionibus autem factis sanctis patribus , propter
nonic⁹ quas Messiam de genere, prole & sua descensurum
Valent. præstolabantur, id notandum venit. Quòd quin
j. parte, nu inerarētur ex textu sacrae scripturae plures per-
sonæ, quam quindecim, quibus facta est promis-
sio, quòd de semine earum descensurus erat Mes-
sias, non comprehendo hic eas, quibus cōtigit re-
uelatio sine promissione, quòd de earum sobole,
duobus tamen solis facta fuit repromissio Abra-
Matth. hæc, & Dauidi, quod Matt. visus est adnotasse, di-
1.2. cens: Liber generationis Iesu Christi, filij Abra-
ham. Vbi Hieronymus, his tantum duobus facta
Hiero. fuit de Christo repromissio: videlicet cuim solen-
Lucz. nitate promissionis reduplicatio. Nam de iure illi-
Ge.1.g. rando iurauit Dominus ad Abraham daturum
2.2.d. se nobis de progenie ipsius: quando voluit Isaac
Genes. immolare, promittens ei quòd in semine suo be-
12.a. nedicerentur omnes gentes terræ: quuin iam ante
Psalm. spopondisset omnes cogitationes terræ in eo be-
131. nedicendas. Jurauit dominus etiam Dauid verita-
tem: & nō frustrabitur eum: de fructu ventris tui
ponam super sedem tuam. Sed ante hoc, spem con-
ceperat iam multam de sibi facta promissione:
1 Reg. quum dixit: Memor esto verbi tui: seruo tuo, in
2.4.a. quo mihi spē dedisti: Et refert scriptura: hæc sunt
verba nouissima, quæ dixit Dauid filius Isai: dixit

vir,

vir, cui constitutum est de Christo dei Jacob. Ad-
uerte h̄dū autem est in istis promissionib⁹, quod
contingentiae illæ, secundum quas promissiones
factæ intelliguntur, prognostica fuere, & figuræ
eorum quæ circa Messiam futura erant, quod etiā
patres illi sancti intelligebant. De Abraham qui-
dem cōstat, quomodo immolatio ea, quam fecit
pro Isaac, notabat Christi mortem. De Dauid,
Hebræi quidam dicunt, pro Iusū coram arca fœ-
deris, & despectu eius in oculis filiæ Saulis factū
fuisse iuriandum de Christi descendētia: quod
certè perspicuum est opprobria Christi signasse à
populo nequam synagogæ: dum nūdus ad crucē
nostram operaretur redēptionem. Intelligentes
ergo sancti prophetæ mysteria huiusmodi, arden-
tissimo æstu anhelabant ad accelerationem tanti
boni. Congruum igitur est, ut antequam repre-
sentetur exhibitiō huius mysterij, quasi præludiū
quoddam antecedat antiquarum ad ipsum dispo-
sitionum prælibatio. Sed quoniam & benignitas
Christi tanta se maiestate ingessit pectoribus ho-
minum, negotium hoc agēdo, quod totum in sui
miraculum commouerit orbem: incipiens primū
in Iudæorum gentibus, postmodum etiam ad ex-
teras se diffundens nationes, exiens in omnes cir-
cunquad̄ fides Iudæ. Super necuntur quædam
ad hoc pertinentia in Misla, ut signent, & in me-
moriā reuocent mirabilia quædam, quæ illis
temporibus contigerunt ex ordinatione diuina,
ad hoc mysterium habentia quandam correpon-

DE CERE. ACCIDEN.

dentiam, prout locis suis dicetur. Sunt igitur duæ repræsentationes in Missa, quædam ad Christi veram oblationem pertinens, quædam præuias illi dispositiones respiciens, & sic generaliter duæ sunt partes in Missa: una potior & essentialis, quæ Canon vulgato nomine dicitur: & hæc invariabilis semper eadem est. Altera est accidentalis seu adiacens, ut ita dixerim, secundum quam variatio sit Missarum, quæ ab initio usq; ad Canonem durat, & expleto Canone distreditur usq; ad Missæ finem. In Canone repræsentantur mysteria sacramenti, in antecedente ad Canone repræsentantur dispositiones ad sacramentum, videlicet, propheticæ patrum præmonitiones, ut dictum est, quibus ad virtutem sacramenti huius attingendā astuabant: aliquot insuper Domini actus, institutionem præcedentes sancti sacramenti. Sed quoniam & nos offerimus ut participemus multa, intermischemus huic antecedenti Canonem: quibus fidentiores reddamur ad sperandam diuini munera gratiam, consequenterque aptiores inueniatur. Quemadmodum est de lectionibus euangeliorum, & symboli cantu, secundum quod suis locis dicetur.

Explicit Praæambula.
Sequitur tractatus.

Incipit

Incipit tractatus de
RECTA SACRI
FICII OBLATIONE.

De partibus Missæ,
Cap. I.



ISSA PROVT COM
muni nomine Canonem
comprehendit, & anteceda
dentia, & subsequentia:
multipliciter à multis di
uiditur: ita vt vix duo,
vel tres cōcordent in hoc.
Mihi visum est, necq; in
plures dissecare partes, quām habeat actiones, ne
que in pauciores, ex argumentis validis omnibus
perspicuis, si tamen attendere voluerint Missæ
processu. Quid enim est, quod sacerdos aliquid
acturus in Missa populum salutat, dicens: Domi
nus vobiscum, quandoq; vertit se ad eum, quan
doque non? nisi quod aliquam speciale in actio
nem celebraturus, precatur diuinum auxilium
stantibus Missam audientibus: vt feruentiores
& attentiores reddantur ad eam cōcelebrandam.
Et quemadmodū post resurrectionē suam osten
dit se Dominus, apparens multis discipulorum
suorum: præsentia sua elevans eos ad resarcendam

C ii

DE RECTA SA. OBLA,

fidem, quam defloruerant, prebentes auxilium ad ea, quæ supra vires eorum erat. Sic in modò faxit Deus. Sequitur igitur, quod postquam non plus quam septies populus salutatur: non plus quam septem actiones & partes ponendæ sunt in Missâ. Si enim plures essent, pluries expeteret à Domino sacerdos auxilium. Consonat hæc partium assignatio

Nume. cum veteris testamenti muneribus in sacrificijs hostiarum, & numero. Offerebant enim in præcipiis festis agnos numero septem: inq; consummationibus sacrificiorum omnium, septies oblato-

Leuit. rum animalium sanguis aspergebatur in velum, & effundebatur in pavimentum, ut legitur Nu-
23.c. meri. 19.a. & alibi saepe. Hæc ultra virtutum significationem, quæ numero septenario designantur, septenariam sanguinis Christi Iesu effusionem no-
Nume. tabant, quæ ex euangelio liquido potest haberi.

Lu.2.c. Effudit siquidem Dominus sanguinem in circun-
cisione octauo die nativitatis suæ. Secundò, in ago-
Lucæ nia positus in horto, quando factus est sudor eius, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Ter-
12.e. tio, quando flagris cæsus a Pilato male multatus fuit: ut sic a morte saltem temperarent Iudæi:

Io.19.a. vt patet Iohannis. 19. Nam & adduxit eum so-

Lucæ ras ostendens miseratione dignum, dicens: Ecce
23.b. homo. & prout Lucas notat, putabat Pilatus

Io.19.a. emendatum sic, dimittendum liberum, quum in eo nulla mortis causa inuenitetur. Quartò, sanguinem Dominus effudit in coronatione spinarum. Quintò, iterum secundò flagellatus, postquam morte

morte fuit condemnatus, secundum quod ex contextu Matthæi potest cōprehendi, dicentis: Tunc dimisit illis Barrabam, Iesum autem flagellatum tradidit eis, ut crucifigeretur. Vbi Hieronymus ait: Quærat eruditus lector quōmodo sibi conueniat Pilatum lauisse manus suas, & dixisse Inno-
cens ego sum a sanguine iusti huius: & postea fla-
gellatum tradidisse Iesum, ut crucifigeretur? Sed
sciendum est Romanis eum legibus ministrale, quibus sanctum est, ut qui crucifiguntur, prius fla-
gellis verberetur: Hæc ille. Nicodemus etiam in
suo euangelio quamuis ab ecclesia non recepto,
binam flagellationem Domini narrat, secundum
quod diximus. Primam a Pilato arbitrio suo ius-
fain, ne cogeretur importunitatibus Iudeorum
Christum cruci damnare. Hæc fuit in columna,
quæ in ecclesia ostenditur montis Sion Hierosolymis, cuius etiam pars Romæ in ecclesia sanctæ
Praxedis visitur secundum Bedam. Secundam,
secundū leges Romanas disponentes, quod post
lataī sententiam damnati flagris cæderentur, ad
extorquendum complices delictorū, & mortem
accelerandam: ne diutius in cruce poenas darent.
Hæc flagellatio, prout Augustinus in sermone
quodam ait, fuit Christo prostrato ante Pilatum
in terra. Dicit enim: Ecce iam Dominus aptatus
ad verbera, iacet extensus ante hominem Deus,
& supplicium patitur rei, in quo nullum vesti-
gium potuit inueniri peccati: Hæc ille. Sciendum
tamen fuisse moris apud Romanos plecti ciues

Matthi.

27.

Hiero.
super
Matt.Nico-
demus.Beda
super
Luc.

Angil.

DE RECTA SA. OBLA.

Aulus
Gellius
de nos.
et atti-
vitibus, externos verò virgis. Sextò, effudit san-
guinem dominus indumentis spoliatus in Calua-
riæ monte, & cruci suffixus: quæ omnia vnā dun-
taxat effusionem complent. Non enim cōputan-
tur sanguinis profluvia secundū plagas, per quas
emanarunt, quia sic multò maior numerus esset:
quum plus quām sex mille plagi Christus fuerit
laceratus: Sed computatur secundum vices flu-
di & diuersa tempora, quibus fluxerunt. Sic & flu-
xus ille sub detractione vestium, concreto sangu-
ine carnibus & plagi adhærentium, & sub clau-
rum fixione, crucisq; in altum erectione: quia cō-
tinuus fuit sub vno tempore, nulla interceptus
mora vel interruptus, vnam effusionem faciunt,
que sexta est in numero. Septima verò & vltima
sanguinis Christi effusio fuit, quando iam exhau-
sto sanguine, qui in venis erat mortuo Domino,
latus perforatum sanguinem, qui circa cor coalue-
rat, exhauriendum dedit cum aqua mistum. Hæc
est septem effusionum ratio. Ecce septem illas si-
gnificationes numeri septenarij apud Hebræos,
quas per septem actiones in Missa repræsenta-
mus, oramusq; per illas deum, ut nostri misere-
tur: quibus cōprehenditur omnium Christi pas-
sionum summa. Partes septem Missæ. Prima igi-
tur actio Missæ vocatur à quibusdam præpa-
ratio: durat ab Introitu usq; ad Epistolam: secun-
da dispositio ab Epistola usq; ad Offertorium:
tertia oblatio ab Offertorio usque ad Secretam:
quarta consecratio à Secreta usque ad Vnde &
meino-

Partes
septem
Missæ.

memores: quinta Communio usque ad Postcommunionem: sexta Postcommunionio usque ad Benedictionem: septima gratiarum actio usque ad finem. Conueniunt haec sectiones cum dictis, & ideo non moror appellaciones, & nomina. Alij sic in tres partes diuidunt Missam: quod primam earum ab Introitu usque ad Canonem, dicant representare omnem Christi vitam a nativitate usque ad horam, qua in horto traditus fuit. Secundam vero, quae totum comprehendit Canonem, passionem totam amarissimam, usque ad sepulturam gloriosam. Tertiam autem partem ab expleto Canone usque in finem, resurrectionem, ascensionem, aduentumque spiritus sancti: sed haec istorum positio pro affectata breuitate, multa consideratione digna dimittitur intacta. Redeamus igitur ad partes primae divisionis prosequendas. Preparatio habet Introitum, & Orationem. Ad Introitum non dicitur Dominus vobiscum: sed ad Orationem. Quoniam duo sunt testamenta, quae illustrant hoc sacrificium: Vetus quidem odore ieiunio solo: Novum autem succo realis substantiae, in praesentia sacramentali. Et quam efficaciam petimus sacramenti, quae non fuit sub lege, sed sub Evangelio, ideo non premittitur Dominus vobiscum, ad Introitum, qui legis est: sed ad Orationem, quae est Evangelij temporis. Sed quia transitus de lege ad evangelium non fuit sine complemento eius legis, propterea ponitur primo Introitus, qui etiam notat: secundo

Missæ
partes
tres.

DE INTROITV.

subiungitur Kyrie eleison cum Gloria, quādo dīci debet, quæ duo signant scripturarum completionem per aduentum Messiæ. Tertiō ponitur Oratio, siue Collecta, per quam recordamur eius gratiæ, quam suscepimus liberè clamādi ad deum per spiritum sanctum, qui diffusus est in cordibus nostris. Et tunc ut validiore spiritu intret oratio nostra in conspectu Domini, dicit sacerdos, Dominus vobiscum.

Ro.5.a.

De Introitu. Cap. II.



R I M V S Q V I M I S S A M C E
lebrauit post Christū, dicitur fuisse
beatus Petrus apostolus. Hic enim,
qui vicarius Christi factus erat &
pastor ecclesiæ, sanctissimam illam

Domini institutionē primus prosequuturus erat,
iuxta illud: Hoc facite in meam commemoratiō-

Ac.2.c. nem. Dicit enim textus Actuum: Erant perseue-
rantes in doctrina apostolorum, & communica-
tione fractionis panis, & orationibus. Vbi ver-

Augus-
tini de
cōcord.
Euang. tum illud, perseverantes, notat continuationem
eius rei, quæ ante iām inchoata fuerat. Sed & Au-

gustinus fractionem illam panis sub quadiscipu-
li Dominum in Emmaus cognouerunt, cōsecratio-

nem intelligit sacramenti & eius distributionem:
quo facto oculi eorum aperti fuerunt, & exinde

apostoli vsu quotidiano celebrarunt post ascensio-

nem Domini, omnesq; Christiani morem se-
quuti sunt. Iuxta quod Apostolus dicit: Panis
quein

1. Cor.
10.d.

quem frangimus, nonne participatio corporis Christi est: omnes autem Apostoli æque a Christo sacerdotes instituti fuerant in coena: sed solus Petrus regimen ecclesiæ suscepit, dicente Domino: Pasce oves meas. Ordinavit ergo Petrus Iacobum maiorem in episcopum, & ambo post Iohannem euangelistam etiam in episcopum: Tres autem simul, Iacobum minorem Hierosolymorum episcopum ordinarunt, secundum quod refert Clemens tertius a Petro in libro. 6. dispositionum. Idem ait Anacletus Papa quintus a beato Petro, anno Christi. 102. Hic Iacobus minor primus Missam soleniter celebrait Hierosolymis: quod dicitur nunc de pontificali, prout notatur de consecratione d. i. Iacobus. Dicit enim ibi sexta synodus. Iacobus frater Domini secundum carnem, cui primum credita est Hierosolymitana ecclesia, & Basilius Cæsariensis episcopus, cuius charitas per totum orbem resulsa, in scripturis addiderunt nobis Missæ celebrationem. Ex hoc ergo quod dicit, addiderunt, intelligitur quia ante Jacobum iam ritus Missam celebrandi præcesserat: Sed sicut post Iacobum Basilius ceremonias adauxit, ita post primos Iacobus fecit. Et ex verbo, celebrationem, intelligimus ceremonias additas ad solennitatem pertinuisse. Quod inde comprehenditur, quod ea, quæ Basilius addidit, ad solennitatem fuerunt. Dicit Bessarion Cardinalis Nicenius, libro de sacramento altaris, Jacobum apostolum primum Hierosolymorum episcopum, in Bessarion lib. de sacra ento altaris.

Io. 2. c.

Clemens papa.

De con
sec. d. i.
Iacob.Prima
Missa
solenis.

DE INTROITV.

Verba
sancti
Jacobi
in Miss
sa.

celebratione Missæ solenni, his ferè verbis orasse:
Rogamus vt spiritus sanctus adueniens sancta,
bona, atq; glorioſa eius præſentia sanctificet: &
faciat hunc quidem panem corpus sancti Christi
tui, & calicem hunc pretiosum sanguinem Chris
ti tui. Hæc ille.

Basilij
verba.

De verbis quibus usus est Basilius in sua Mis
sa, dicitur quod fuerunt hæc: Respice super nos
deus, & super hanc nostrā latriam: vt acceptam
eam habeas, quemadmodum accepta habuisti
munera Abel, immolationē Abrahæ, Moysi, &
Aaron, sacrificia sacerdotum, Samuelis pacificas.
Quemadmodum cepisti à sanctis apostolis tuis
veram hanc latriam, ita ex nobis peccatoribus,
manibusq; nostris accipe hæc munera bonitate
tua Domine. Hæc Basilius. Fortassis Jacobus in
verbis illis, si licet coniectare, usus est ceremonijs
cruce signandi super panem, & calicem. Igitur ante
Jacobum iam Petrus celebrauerat. Sed modus,
quo liturgiam sanctam fecerat, non ita constat,
vt certis argumentis possimus astruere. Colligi
mus autem ex multis coniecturis, hunc ritū Mis
sam celebrandi primum apud apostolos fuisse:
videlicet, vt quemadmodū Christus super men
sam post agni esum in coenæ processu multa mo
nuerat eos, & surgens eorum pedes lauerat, re
diensq; ad mensam eandem gratias agens Deo
patri, consecrauerat, obtuleratq;: & sic tandem
cōmunicauerat eis. Ita ipsi apposita mēsa, & circū
eam facta astantiū choro, præmonitionis illius,
quam

Lucx
22.b,

quam Dominus ante consecrationē præmisserat,
recordantes: crucē mensæ superimpositā venera-
bantur ordinatè vnum post vnum. Post hęc cele-
braturus accedens dicebat: Dominus vobiscum.
Et mox: Sursum corda. Deinde: Gratias agamus
Dominō Deo nostro. Et iterū: Verē dignū & iu-
stum est, æquum & salutare, nos tibi semper &
vbiq; gratias agere Domine sancte pater omni-
potens, æterne Deus, per Christū Dñm nostrū:
qui accipiens panē in sanctas ac venerabiles ma-
nus suas &c. Prosequebatur sic verba consecra-
tionis panis, & vini, dicens: Quo facto, & adora-
to sanctissimo sacramēto, ipse prior sacerdos cele-
brās cōmunicabat, & post eum omnes alij: & sic
ritus Missæ cōplebat cum benedictione astantiū.

Ecce formā primitus seruatā in ecclesia primiti-
ua. Hęc sic colligunt. Tertullianus aduersus Mar-
cionē lib. i. inter cetera, quibus cōtra eum agit, sic
ait: Super alienū panē alij Deo gratiarū actioni-
bus fungitur. Vnde liquidò apparet, gratias dici
solitas in sacrificio panis à sacerdote. Deriuatus
autē mos hic gratias agēdi à Christo Dño, qui so-
lus vere gratias Deo egit: quia solus is Deo con-
dignā repensionē pro omnibus datis dedit, qui ca-
licem salutaris obtulit inuocās nomē dñi. De nul-
lo autē legit̄ in veteri testamēto, loquor de libris
Canonicis à Iudēis receptis, quod Deo prudēter
gratias egerit sub nomine gratiarū actiōis: de so-
lo autē Christo legitur: Et quidē ter legit̄ Chri-
stus Dominus in nouo testamento Deo gratias

Tertullianus.
libro i.
adversus
Marcionem.

Solus
Christus
deo gra-
tias es-
git.

Iohā.9.

DE INTROITV.

egisse. Primum in miraculo quinqup panum : vbi

Ioh*an*.6. multa monuit discipulos de sui corporis sacramen-
to. secundò in Lazari resurrectione: tertio in

Matth. coena, quando voluit consecrare. De quibus Ru-

26. pertus Tuitieñ.ca.ij.li.de processione spiritus san-
kuper. eti. Quia igitur solitus erat Christus dominus

Tuit. Deo gratias agere, & præcipuas in oblatione sui
egit, & docuit apostolos ita agere in offerendo,

quum eis dixit: Hoc facite in meam commemora-
tionem. Apostoli ita instituerunt Christianos, vt

Orige. in offerendo sancto sacrificio, à gratiarum actio-
ne inciperent consecrationem. Sed & ex Origenis,

& similium sanctorum apostolis vicinorum scri-
pturis apparet in liturgia astantes commonefa-

ctos, excitatosque ad eleuandum corda in super-
nis, benevolentiamque diuinam exposcendam. Ac-

cessit h̄is Iacobi sancti, quam premissimus, oratio:
quam ante salutationem populi existimandum

est fuisse positam. Post hec reuelauit dominus
apostolis, vt Dominicam orationem adderent ri-

De con- tui sacrificandi. Dicit enim Hiero. cōtra Pelagia-
sec.d.i. nos. Sic docuit Dominus apostolos suos, vt quo

quādo aut sua. tidie in corporis illius sacrificio, credentes audeat

loqui: Pater noster qui es in celis, &c. Gregorius

autem in registro, ait: Mos apostolorum fuit, vt

ad ipsam solummodo orationem, oblationis ho-
stiam consecrarent. Itaque post consecrationem

addita fuit oratio Dominica ante cōmunionem.
Post hec paulatim succreuit decor liturgia: &

quemadmodum olim ordinem veteris sacrificij

per

per Moysen à Domino traditum, ampliarunt. Samuel, Dauid, & Salomon, in ministerio sacerdotum, & Leuitarum, cantorum numero multiplici, psalmorum tripudio, gloria templi, & altaris illustri, multitudine etiam sacrorum vasorum. Sic sacrum hoc mysterium per additamenta sanctorum in dies splendide amplificatum est. Placuit celebrari ante meridiē ea hora, qua Christus Dominus cruci suffixus est, & spiritus sanctus missus est, quod postea testatus est Telesphorus octauus à Petro, anno. 139. quamuis Dominus in nocte, qua traditus fuit, hoc sacramentum instituerit, & post eum agni apostolis dederit. Quoniam ex eo quod post coenam sacramentum instituit, notabatur dimittendam noctem, ritumque illum Iudaicum iam extunc antiquatum, & conueniente die celebrandum novum ecclesiæ sacramentum ieiunis, à ieiunisque percipiendum, cuius rationem reddit Augustinus in rationibus ad Ianuarium dicens. Discipuli non accepere ieiuni corpus & sanguinem Domini, sed placuit spiritui sancto, ut in honorem tanti sacramenti, prius in os Christiani Dominicum corpus intraret, quam cæteri cibī. Tertullianus item in libro ad uxorem, de muliere loquens, quæ Gentili mista sit, ait: Non sciet maritus, quid secreto ante omnem cibum gustes, & si scierit, panem non illum credit esse, qui dicitur: Hæc ille. Ex quibus colligitur quia à ieiunis ante omnem cibum sumebatur sanctissimum sacramentum. Sic etiam quia Christi mors fuit in

Augus.
de con-
sec. 2. d.
tiquido

Tertu
lib. 2.
advxo.

DE INTROIT V.

monte Caluariæ, & passio illa per legis sacrificia figurabatur, quæ in altari fiebant. Sanxerunt apostoli, non in mensa ut prius, sed in altari fieri liturgiam, seu Missam. De quo meminit Felix vicesimus sextus à Petro, anno domini. 267. Et ante eum Clemens. 3. à Petro. anno Domini. 92. In ecclesijs sacrificare, & Missas celebrare statuit. Veruntamē quāuis Missa in ecclesijs & super altaria celebrarent, nō semper ibi omnes cōmuniones fiebant. Quādoq; enim priuatim cōmunicabant in dominibus proprijs, prout ex supraposito Tertulliani loco comprehēditur. Et Hieronymus aduersus Iouinianum, ait: Quare non ingrediuntur ecclesijs? Quod in ecclesia non licet, nec domi licet. Tertullianus item in libro de Monogamia, de presbyteris & diaconis loquens, ait: Et illi plane sic dabunt viros & uxores, quomodo buccellas. Vnde licet existimare, quòd accipientes in ecclesia de manu diaconorum buccellas, siue formas consecratas, domi secum deportabant ad cōmunicandum priuatè ad arbitrium suum. Quādoq; verò in ecclesia communicabant, prout dictum est, post sacerdotis communionem, & hoc ut plurimum diebus Dominicis quibus conueniebant, simulq; cōenitabant: prout & Tertullianus idem in apologetico aduersus Gentiles dicit, frequenter Christianos simul cōenitare consuevit: quod cōnæ genus ἀγαπή, agapen vocatum tradit, a dilectione mutuato vocabulo, quòd ibi ad sumptus ditiorum ederet refectionem Domini-

cam

De con-
sec. d. 2.
sicut nō
alij. de
consec.
di. hic
ergo.

Hiero.

Tertu-
li. apo.

cam pauperum multitudo. Idcirco mensa pos-
nebatur in ecclesia ad hanc coenam præter altare
ad sacrificium paratum. Meminit de hac mensa
Pontius Paulinus libro de gazophilacio, quam
etiam dominicam mensam vocat, & à domino
positam adhortans ditiores: ut libenter de suo
egentibus impartiant. Conuenientes igitur ora-
bant primum, dein Missa dicebatur, tertio cele-
brabatur conuiuiū hoc communiter: licet quan-
doque etiam Missa celebraretur post prandium.
De primo sic ait Tertullianus in Apologetico:
Coimus in coetum & aggregationem, ut ad
Deum quasi manu facta precationibus ambia-
mus orantes, haec vis Deo grata est. Haec ille. Ec-
ce quomodo orabant. De coena autem sumpta
dicit Plinius ad Traianum imperatorem, Chri-
stianis morem fuisse conueniendi ad capiendum
cibum, promiscuum tamen, & innoxium. Cæ-
terum grauari existimantibus huius seculi diui-
tibus, quod ad sumptus suos pauperes ederent,
desiere fieri coenæ huiusmodi, & unoquoque
suam refectionem domi suæ sumente, vel sum-
pturo, conueniebant ad Missam. Quod Apo-
stolus Paulus reprehendit in Corinthijs, dicens:
Conuenientibus vobis in unum, iam non est
dominicam coenam manducare, &c. Man-
serunt tamen præcipua solennitates in die io-
uis sancta, & paschæ vigilia, & alijs. Ter-
tullianus in libro secundo ad uxorem de Ethni-
co verba faciens cuius uxor sit Christiana, in-

Ponti.
Pauli.
lib. de.
gazop.

Tertu.
in apo-
log.

1. Cor.
ii.

Tertu.
lib. 2.
ad uxo-
rem.

DE INTROITV.

quit: Quis deniq; solennibus paschæ ab noctan-
tem vxorem securus sustinebit? Quis ad conui-
uium Dominicum illud, quod infamant (scilicet
ethnici) sine sua suspicione dimittet? Hæc ille. Pli-
Plinius
ad Tra-
ianum. nius item vbi suprà: Affirmabant autem, quòd
essent soliti statuto die ante lucem conuenire, car-
menq; Christo, quasi Deo dicere, seq; iuvicem fa-
cramento, non in scelus aliquod astringere: sed ne
furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne
fidem fallerent, ne depositū appellati abnegarent.

Hæc illæ. Per concilium autem Carthaginense,
aduersus exorbitantias celebrantium post cibos,
sancitum fuit, ne Missæ celebrarentur à non ieui-
nis, nisi in anniversario die cœnæ Domini, quod
etiam postmodum rescissum est per consuetudi-
nem contrariam. Occasione autem illius epistolæ
Pauli missæ ad Corinthios, quæ loquitur de hac
materia, & propterea copta fuit legi in Missa, in-
oleuit usus lectionum tam Veteris, quām noui te-
stameti, statim citò post apostolorum deceßum,
publicatis iam euangelijs, circiter annos Domi-
ni sexaginta. Nam prout Theophilactus narrat
Theo.
in pro-
logo sui super principiū Matthæi, anno octauo ab ascen-
sione Domini, publicatum fuit euangelium Mat-
tæ Euā. thæi in Iudea. Post, anno decimo ab ascensione,
euangelium Marci in Italia: Dein anno decimo-
quinto, in Græcia euangelium Lucæ: Ultimò, an-
no tricesimo secundo ab ascensione editum fuit
ab Iohanne euangelium suum in Asia, & publica-
tum. Sicq; prout olim in Iudaismo ab Ezra ha-
buere

huere in synagogis lectiones suas per oīnne saba
bathum Hebræi , nunc in ecclesia à patribus san-
ctis euangelicas lectiones , & veteris testamenti
scripturas cœperunt habere Christiani: Quod vñ
trà Dionysij testimonium suprà positum, Tertul-
lianuſ cōfirmat in Apologetico, dicens: Oramus
pro imperatoribus, pro ministris eorum, & potes-
tatis, pro statu seculi, pro rerum quiete, & mo-
rafinis. Coimus ad literarum diuinarum comme-
morationem, si quid præsentium ipsorum quali-
tas, aut præmonere cogit, aut recognoscere. Certe
fidem sanctis vocibus pascimus, spem erigimus,
fiductam figimus, disciplinam præceptorum ni-
hilominus inculcationibus densamus. Ibidem
etiam exhortationis castigatione, & censura di-
uina. Nam & iudicatur magno cum pondere, vt
apud certos de Dei conspectu. Hæc ille. Ex his
colliguntur notabilia duo : Primum fuiss' apud
priscos ante sacram hostiæ consecrationem le-
ctiones temporis cōmodas , quæ quasi liturgiam
introducerent. Vnde nomē Introitus deriuatum
est: quia sic intrabant ad sacram illam actionem.
Secundum, quòd aliquæ etiam orationes publi-
cè fiebant pro rectoribus , & occurrentibus ne-
cessitatibus. Ecce quibus exordijs apostolicis
temporibus, soliti fuerunt Latini auspi-
cari sacra nostra. Vnde usque ad
nos manet nomen Introi-
tus, & actio.

Tertul.
i Apo.

D

DE EXCRESCENTIIS,

Cap. III.



D D I D I T ALEXANDER
sextus à Petro , anno. 121. sacris litur-
gijs passionis Domini memoriam.
Ait enim in li. Decretorum suorum
cap.i. In sacramentorum oblatione
bus, quæ inter Missarum solennia Domino offe-
runtur, passio Domini miscenda est, ut eius (cu-
ius corpus & sanguis conficitur) passio celebre-
tur: ita ut repulsis opinionibus superstitionum,
panis tantum & vinum aqua perinistum, in sa-
crificio offerantur. Sic addita sunt verba illa: Qui
pridie quam pateretur, & immista sunt verbis
præcedentibus consecrationem. Addidit præter
ea expiationis nouum ritum, ut aqua sale mista
benedicatur, eaq; fideles aspergantur ante litura-
giam pro aspersione veteri, qua Judæi expiabantur
aqua immixtis cineribus vitulæ illius ruffæ,
de qua in libro Numeri. Successit Alexandro
Sixtus à Petro septimus : & propter mysterium
Trinitatis, cuius miseratione passio Christi no-
bis concessa est in salutem, acceptaq; in redemp-
tionem, statuit antè verba ab Alexandre posita,
cantari ter, Sanctus, propter quod opus fuit
aliquid præfationi addere, quod viam pararet
appositioni cantici illius, Sanctus. Et ita adiecta
fuit post illa verba, Per Christum dominum no-
strum, subsequens contextura; Per quem mai-
statem

Tomo
1. de cō-
se. 1. di. 1
parte. j.

De cen-
sec. d. 2.
cap. 1.

De con-
sec. d. 3.

Nume.

statem tuam: & quæ sequuntur. Deinde Thelesphorus nonus à Petro, anno. 139. statuit in Missa cantari angelorum hymnum: Gloria in excelsis Deo, cum sequentibus verbis, quæ ipse compo-
suit. Sed hoc in Missis tribus dici Natalis Domini, quas etiam ipse constituit ita dici. Sic celebra-
tum est mysterium sacrum plus quam ducentos annos usq; ad Damascum Papam tricesimum octauum à beato Petro, anno. 370. Hic enim sta-
tuit in Missa cantari symbolum fidei, quod dici-
tur Credo maius, ex ordinatione concilij Con-
stantinopolitani. Hic etiam apposuit, in Missa Alleluia.

Innocentius quadragesimus secundus à Petro, Gregorius in Regist. lib. 7. cap. 6. anno quadragegesimo septimo pacis osculu in Missa ante Communionem dari decreuit: Habe-
tur in eius decretis capite primo.

Celestinus. 45. à Petro, anno. 427. constituit, vt psalmi Dauid. 150. antiphonatim cantarentur ante sacrificium: quod non sic fiebat: sed tantum re- citabantur Epistola & Euangelium. Nec vacat ratione digna hæc ordinatio. Quoniam quum ad introductionem liturgiæ congruum sit præces- dere antiquorum præfigurationem, & desiderium Psalm. huius hostiæ sacræ, iuxta id psalmi: Memoriā fe- cit mirabilem suorum: & psalmi. Dauid. 250. sint totius veteris testamenti epilogus, tam legalium significationum, quam prophetalium, meritò sta- tutæ sunt singulæ de singulis psalmis antiphona, at præludium, & introitum liturgiæ. Nam

DE EX CRES. MISSÆ.

Psalt.
Mariæ.

& in hanc significationem. 150. salutationes, siue orationes, Aue Maria, recitamus in obsequium Deiparæ Mariæ ex apostolorum traditione, ut fertur, nominantes orationes has psalterium, inuenientes per hoc in. 150. psalmis de Maria propheticō spiritu inclusas laudes, & prærogatiuas: quum in unoquocq; aliquid implicitur ad Mariam pertinens.

Hinc excerpti Introitus, qui nunc dicuntur, & quæ cantari coepta sunt in ecclesia Romana, Gradualia, & Offertoria cum Communionibus.

Leo quadragesimus septimus a beato Petro, anno Domini. 444. addidit verbis consequentiis Consecrationem, verba illa, Sanctum sacrificium, immaculatam hostiam: prout refert Ruper tus Tuitiensis.

Ruper-
tus lib.
de diuinis
mis offi-
cijs.

Conci-
lium. 6.
Episco-
potum.
Tomo
1. pat. 2.
Conce-
lliorū.
De con-
fec. d. i.
Inueni-
muis.

Post haec sub Simplicio quadragesimono no à Petro, anno quadragecentesimo septuagesimo primo in synodo prouinciali habita Valentiæ no stræ Hispaniæ, sanctum fuit, sanctum euangelium legi ante Offertorium, quum antea solitum fuisset legi post electionem catechumenorum, & eorum qui non erant de numero astauitium sacræ Missæ: sed ejiciebantur ad atria templi, & sic occlusis foribus siebat consecratio sacra. Itaq; iam extunc mutato ritu sanctum Euangelium legi coepum est, antequam ejicientur ab ecclesia, qui erant ejiciendi. Gelasius quinquagesimus primus à Petro, anno. 494. Tractus, & Hymnos composuit, & Præfationes. Symachus dein

qui-

quinquagesimus tertius à Petro, anno. 101. instituit canticū, Gloria in excelsis Deo, quod Theophilactus ampliarat, & solum in natali Domini cantari statuerat, in Dominicis diebus, & in natalitīs martyrum decantari. Gregorius vltimò succelsit. 66. a Petro, qui reformauit quasi anno 591. ordinem Missam celebrandi, prout dictum est, quum ante ætatem suam quidam Scolasticus nomine, Canonem composuisset, corradens vnde dique ab omnibus modis Missam celebrandi, quæ sibi aptiora visa fuerant. Hic beatissimus pater, Kyrie eleeson nouies decantari instituit, quum ante eum Syluester tricesimus quartus a Petro anno 315. statuisset ter cantari: sed abolitum fuerat. Sicq; restituit Gregorius, sed & statuit, quod à clericis diceretur: quuin à Græcis decantetur omnibus cum populo. Sub eodem ferme tempore à concilio Toletano tertio restitutum est canticum illud, Gloria patri, & filio, & spiritui sancto, quod olim ex cōcilio Niceno, & Constantinopolitano Damasius omnibus psalmis pro cōclusione apposuerat. Sed apud Hispaniam ex hæreticorum prauitate, loco eius cantabatur a falsis impostoribus, Gloria patri per filium in spiritu sancto. Et subsequentे quarta synodo Tole-
 tana statutum fuit per Hispanias in fine psalme quartū, Gloria & honor patri, & filio, & spiritui sancto, decantari. Accessit post hæc vltimò can-
 tus decor, & musica sacræ liturgiæ, circa annos
 Domini. 674. & prima Misla, solenni cantu cele-
 brata

D in

DE EXCRESCENTIIS.

brata, certis melodijs arte musica composita, dea
cantata fuit Constantinopoli in sexta synodo, à
Iohanne Portuense. Itaq; primus omnium Pe-
trus Missam celebrauit: pòst Iacobus minor pri-
mus Missam de pontificali celebrauit Hierosoly-
mis: dein & Petrus primus Missam solenni offi-
cio Antiochiae, cum vestrum splendidissimo or-
natu dixit: prout ait Hugo de sacramentis lib. 2.
parte, s. capite ultimo. Postremò Iohannes Por-
tuensis Missam cantauit, composita iam forma
cantus, & melodiae. Nunc iam redeamus post tan-
tum digressum ad propositum Missæ ordinem
declarandum, quem per tot patres mendicauis-
mus. Reformeruit beatus Gregorius Missalia, &
fecit Introitus ad Missas ex psalmis regulariter:
licet quandoque propter mysterium ex propheta-
tis aliquos Introitus composuerit.

Decurtauerat iam Pelagius sexagesimus se-
cundus à Petro, anno Domini quingentesimo
quinquagesimo octavo, moras illas cantandi cen-
tuim quinquaginta psalmos pro Introitu, acci-
piens aliquot versus de illis, secundum quod &
Ambrosius fecerat iam. Sed indigesti manserant
versus illi sumpti. Addidit Gregorius in nume-
ro & modo legendi decorum multum, & signifi-
cationem. Namq; tres partes habet Introitus: vi-
delicet, Antiphonam, Versum, & Gloria patri.

Per Antiphonam notatur tempus naturæ, quo
fuit desideratus. Per Versum notatur tempus le-
gis scripturæ, quo promissus fuit Messias, per
sacri

sacrificia illa præfiguratus. Concluditur tertio laus & gloria Deo trino & vni, qui reuelauit se patriarchis & prophetis illius temporis: exhibuit autem se nobis in incarnatione verbi. Beatus Hieronymus rogauit Damascum, ut sequentia verba post Gloria patri & filio & spirituis sancto videlicet, Sicut erat in principio & nunc & semper & in secula seculorum, amen. quæ ipse composuit, decantari præciperet in fine omnium psalmorum: quod & fecit. Dicto Gloria patri, reiteratur Introitus usque ad versum, ut notetur, quod lex naturæ, quæ præcessit legem scriptam, & cum ea etiam perseverauit, durat etiam cum lege gratiæ. Et sic reiteratur post Gloria patri Antiphona, & non Versus: quia abolita lege scripturæ cum ceremonialibus suis, non est abolita lex naturæ cum mandatis suis. Antiphona enim, prout dictum est, significatio est legis naturæ: Versus autem legis scripturæ: Gloria patri legis naturæ, quæ gratiæ est. In aliquibus ecclesijs reiteratur totus Introitus, usque ad Gloria patri: quia habent sibi aliæ significationem, ab ista quam diximus.

Lyra.
super
Apoca-
lypsum.

DE VESTIMENTIS SACRIS AD SACRAM LITURGIAM.

Cap. IIII.



RÆ FIXERAT OLIM DEVS per Moysen sacerdotibus vestes, qui= Veteris
bus ministrare debebant sacra in tem= sacerdos
plo, ne communibus vestibus accedes oris,
natus,

D iiiij

DE EXCRESCENTIIS.

Hiero. sent. Statuitq; minoribus sacerdotibus sufficere periscelides, siue femoralia linea, poderim siue li- neum baltheum, & cidarim, de quibus Hierony- mus ad Fabiolam: videlicet, quia hi non erant ias- cristicum maximum peracturi, sed ministrantes circa minora, sufficienter admonitos reddebat vestes istæ, quid præparasse oportuerat eos ad sa- cra illa, ut dignè exequerentur, quidq; aduertisse ad dignam peractionem, videlicet castitatem in- signem in femoralibus: iustitiam completam in poderi, præuiam ad hoc ministerium preparatio- nem, per cordis applicationem ad Deum: in bal- theo, fidem rectam de ihs, quæ de Deo expectare deberent: in cidari omnia hæc præparasse oport- bat ante horam sacrificij sacerdotes illos, iuxta ve- stium suarum admonitionem: sed & in coloribus incitabant animum sacerdotum, quæ de Deo ex- plicato cogitatu erant animaduersuri, videlicet potentiam mundi conditricem in resolutione ele- mentorum quatuor, scilicet, terræ in bysso: aquæ in purpura: aëris in hyacinthro, ignis in coco bis- tincto: in quibus yniuersorum ratio conditorum includitur. Insuper & misericordiam mundi repa- raticem in auro, quo notabatur reformatio mun- di, illustratioq; per aduentū Messiae promissum, vltra diuinam adstantiam rebus conditis. Suffi- ciebant hæc sacerdotibus illis minoribus eo tem- pore, quo Deus colebatur vt conditor, & spera- batur vt redemptor. Sacerdotibus verò maioris- bus, quamuis eadem ratio esset in eis, tamen am- pliatur

pliatur ornatus ad cultum, quum secretiora mysteria, celebriora & essent celebraturi, ingredientes cum sanguine sanctas sanctorum, populo & benedicentes. Multiplicatae fuerunt eis vestes aliæ quoque quatuor: Videlicet, tunica illa hyacinthina cum malis granatis, & tintinnabulis, ephod, siue superhumerales.

Rationale iudicij, siue logium, & aurea lama, que omnia prædictis addebat explicatiorem protestationem, & conditi seculi, & Messiae earundem reparaturi qualitatem. De quibus idem Hieronymus aliqua notat, & Gregorius in libro Pastoralis secundo, capite tertio & quarto: & Origenes super Leuit. homi. octaua inulta commemorat. Nobis autem iam de redemptione gaudientibus peracta, mysteriis illud sacrosanctum colentibus, indictæ sunt vestes alterius figuræ, alterius contextus, alteriusque significationis mysterioræ. Sic placuit spiritui sancto, qui temporis nostri gubernator est: ut sex essent vestes sacræ ad sanctam liturgiam celebrandam: videlicet, amictus, alba, cingulum, manipulus, stola, planeta, siue casula. & haec sacerdotibus minoribus. Episcopis vero addita sunt per temporis discursum decoramenta honoris: tunica videlicet, sandalia, annulus, crux pectoralis, & pallium. Dein pedum & mitra, cum chirotechis. Nam loco hyacinthing tunicae, tunica suffecta est episcopis nostris serica pretiosa, & notans sublimium rationem, que non patet omnibus, sed perfectis solu & sublimibus,

Hiero-
nimus.
Grego-
Orige-
nes.

Sacer-
dotij
noui or-
natus.

DE VESTIMENTIS SACRIS.

iuxta dictum Domini: Omnia quæcunq; audiūt
à patre meo, nota feci vobis. In sandalijs incarna-
tionis opus designatur, ad cuius expeditionem
prædicationis episcopus semper accinctus, para-
tusq; debet inueniri: iuxta illud Prophetæ: Quam
pulchri pedes annuntiantis pacem, prædicantis
bonum.

Annulus, donum spiritus sancti, quo Christus
donatus, diuisiones multas gratiarum multis re-
partitus est, notat quod pontifex imitatus per or-
dines sacros diuidit gradus diuersos in ecclesia
Dei. Subarat insuper sponsam annulo fructuosa
prædicationis.

Crucis signum successit loco laminae aureæ,
inenarrabile notans passionis mysterium. Vnde
& propriè episcopi decor, crux est: Nam & solus
cruce signat frontem, dum confirmat.

Pallium enim primatum notat. Vnde & insi-
gnium est supremæ missionis. Qui enim primum
ab apostolica sede ad euangelizandum nationis
bus missi sunt: alios postea ad prouincias eius na-
tionis mittentes, hoc decorati sunt ab eadem sede
ornamento, vt notetur pallio solicitude earum
ecclesiarum, quæ ab eo & suis legatis in fide plan-
tæ sunt: quoniam & ad euin recursus est in oca-
currentibus difficultib;.

Pedum, mitra, & chirotechæ, suam quoq; no-
tant in episcopis vigilantiam ad oves Christi pa-
scendas, curandas, souendas operibus ignitis, quæ
non nisi ab instructa fide, iugicq; diuinorum medi-
tatio-

tatione procedunt.

Caterum de harum institutione, qui primus autor fuerit, venie*inuestigandū: maxime quantū ad præsens attinet de vestibus sacerdotalibus minoribus, quibus Missa celebratur. Primum notum est Christum vestes nō mutasse in sacra illa prima Missa, quam celebrauit post coenā.* Nam quamvis coena facta descendens ad lotionem pedum apostolorum vestimenta deposuerit, linteoq; se præcinixerit: tamen completa lotione iterum vestimenta resumpsit, eodem Iohanne vtriusq; facti teste. Huiusmodi autem vestimenta hæc Domini fuerint, non ita expressè reperitur in scriptura: quamvis possimus ex Iohanne colligere, numero fuisse quinq; : videlicet, cum inconsutili tunica, quatuor aliæ numero, quas inter se distribuere milites, qui eum crucifixerunt. Scimus item ex euangelio, vestimenta Domini fimbrias habuisse, quæ Hæmorrhiam sanitati restituere contastu. Vestitus quippe incedebat Dominus more Iudaico: & sandalijs dicitur vsus fuisse.

Celebrauit igitur Missam suam Dominus communibus vestimentis induitus, quibus vtebatur: quæ ut sacra erant per contactum sacratissimæ carnis, ita non vacabant à mysterio. Multa enim ingerunt contemplantibus animaduersionē interiorum repræsentatorum per ea. Sed quoniam in ea celebri oblatione, qua in ara crucis Missam suam realem expleuit Dominus, intercedere alia, quæ meminisse iuuat, sancta mater ecclesia insti-

Io. 31.2.

Ioh. 19.

Matth. 6.d.

tuit vestibus ihs Missam celebrari, quæ eorum es-
 sent repræsentationes, simulq; monitos ministros
 redderent dispositionum requiitarum ad cele-
 brandum. Talia sunt amictus, alba, cingulum,
 manipulus, stola siue orarium, & casula siue pla-
 neta. Velatum fuit caput cum facie reuerendissi-
 ma Domini in domo Caiphæ, ne tortores vultū
 sacrosanctū Domini respicientes, à colaphis desis-
 terent. Alba delusus ab Herode, remissus fuit ad
 Pilatum. Vinctus etiam cordulis, ceu malefactor
 iniquus, aut latro, in captura sua Dominus addu-
 ctus est: quæ in cingulo, manipulo, & stola vo-
 luit spiritus sanctus designari. Deinum ueste pur-
 purea induitus male mulctatus flagris, ostentatus
 est Iudæis a Pilato dicente: Ecce homo. Ecce rex
 vester.

Meminit Anacletus quartus a Petro, anno
 Io. 19.a. Domini centesimo secundo de vestibus ihs sacris.
 Sed & præcessor eius Clemens tertius a Petro
 anno nonagesimo secundo, qui & a beato Petro
 successor in pontificatu declaratus fuerat, memi-
 nit de sacris vestibus ad Missam. Itaq; ab initio
 selectæ fuerunt uestes sacre ad Missam, quum Pe-
 trus voluit Domini mandatum exequi, faciens
 in eius commemorationem sacrum illud myste-
 rium. Quum autem Jacobus postea Missam so-
 lenniter decantauit, uestes institutæ sunt pontifi-
 cia, quibus etiam Petrus Antiochiae usus est, in
 exaltatione cathedræ suæ. Post hæc Stephanus
 xxiiij. a beato Petro, circa annos Domini. 257. in-
 stituit

stituit vestes eas benedici, & ad nullos alios v̄sus assumi, vt habetur de consecratione, dist. i. vestimenta. Habent autem vestes istæ sacræ, præter representationes iam dictas suas significationes, quibus sacerdotes inونent, quas debent habere qualificationes, prout facile est comprehendere per orationes appositæ eis in Rōmano ceremoniali. Quando autem sacerdos accedit ad altare celebraturus, dispositis vestimentis in cornu euangelij, & Missali, cum calice & patena, & reliquis in cornu epistolæ, accipit amictum: & osculatur cruce in, si est ibi assueta: quod si non, dígito pollici imprimit lineo, & ibi osculatur, sub memoria passionis Domini, quam pertulit in domo Caiphæ, dicens:

Pone Domine galeam salutis in capite meo, ad expugnandas & superandas diabolicas fraudes, omniumq; inimicorum meorum me persequebitur fæuitiam superandam, per Christum Dominum nostrum, Amen.

Petitur fides in Christo, per quam vincitur diaboli malitia, iuxta illud Petri: Cui resistite fortis in fide. Et hæc principaliter expetitur, quasi in capite, à qua originantur cæteræ virtutes, sine qua nihil est solidum: & appellatur galea, ab apostolo Paulo. Item & quando accipit Albain, facit similiter in ea signum crucis sicut prius, dicens:

De con-
se. di. i.
vesti-
metra.

1. Pe. 5.

Indue me Domine vestimento salutis, tunica iustitiae; & contra insidias diaboli indumento virtutis & laetitiae circunda me semper, per Christum Dominum nostrum.

Petuntur virtutes quatuor cardinales, prudenter, fortitudo, iustitia, temperantia, quae omnes comprehenduntur nomine iustitiae, nomine, inquam, generali, quo dicimus iustitiam esse, reddere unicuique quod suum est, Deo obedientiam & honorem, nobis cautelam & satisfactionem, proximis misericordiam & correctionem: quibus rebus universa consummatur iustitia: quam si habemus toto corpore & tota anima nostra, circundamur tunica iustitiae: sicque exurgimus in spem futurorum bonorum: unde & spem quoque notat vestis haec ex iustitia.

Quando sacerdos cingit se cingulo, osculatur ipsum, & dicit orationem sequentem,

Præcinge me Domine cingulo fideli, & virtute castitatis lumbos mei corporis, & extingue in eis ardorem totius libidinis: ut iugiter in me maneat tenor totius castitatis, per Christum Dominum nostrum.

Petitur confidentia firma & robusta, ut habeat castitas vegeta, & durabilis. Et insuper ad emasculan

sculandum appetitū carnalem , & eius cohercen-
da incendia, iuxta illud: Vox Domini interciden-
tis flamam ignis. Vnde & zona pellicea circa
lumbos accinctus fuit Elias: accinctus & Iohannes
baptista, quia affectus carnales mortis consi-
deratione docuerūt cohercere, quum affectus hu-
iusmodi cordis, claritate circunligandos docuerit
Christus Iohannem , accinctus zona aurea ad
mamillas in Apocalypsi.

Psalms.
28.b.4. Regs.
1.b.

Ma. 3.20

Apo. 1.2

Ad manipulum crucem osculatus dicit:

Merear, precor, Domine, manipu-
lum portare iustitiae : ut in futuro illū
cum sanctis tuis , exultantur tibi va-
leam offerre, per Christū Dominum
nōstrum.

Petitur honorum operum copiosus fructus,
iuxta illud: Venientes autem venient cum exulta-
tione, portantes manipulos suos. Hi sunt, qui leg-
endi sunt falce honestæ conuersationis è munda-
nis officijs ceusegetibus. Notatigitur expeditio-
nem atque solertiam contra segnitiem. Vnde &
olim in ecclesia primitiua, oīnes nouiter baptisi-
fati in ea hebdomada, quæ in Albis etiam hodie
dicitur, propter hoc ipsum , induti albis incede-
bant manipulos portantes in manibus leuis,
quasi sacrum contra diaboli incursiones. Quan-
do sacerdos imponit humeris stolam siue ora-
rium non exprimit crucem , sed ea osculatur,
& dicit orationem sequentem . Scito tamen

ps. 12.2.

Tertu.
de coro
na milii
tis.

non esse sic stolam humeris imponendam, quod
inter scapulas pendeat, sed sic quod colum circum-
det, & tota pendeat ad pedes.

Redde mihi Domine, obsecro, sto-
lam immortalitatis, quā perdidī præ-
uaricatione primi parentis, & presta,
ut ego, quamuis indignus cum hoc
ornamento indutus accedo, dignè
merear in perpetuū saluari, per Chri-
stum Dominum nostrum.

Petitur obedientia ad Deum, & inseparabi-
lis cum ipso vno ad iugum leue legis suæ por-
tandum: quod dat in patria gloriam & lætitiam,
quam in Adam perdidimus inobediente. Oratio
ad casulam siue planetam, in seq.c.videbitur. Ad-
uertendum autem has orationes esse voluntarias
de consuetudine in Valentino archiepiscopatu,
& aliquibus alijs ecclesijs. Nam aliæ orationes
ponuntur in Romano ceremoniali, & aliqui etiā
orant psalmum, Miserere mei, inter induendum.
Non reperi quis eas ediderit: quicunque tamen
autor fuerit, primus episcopus Valentinus, post
Valentiam restitutam è manibus Maurorum
Agarenorum, qui fuit frater ordinis prædicato-
rum, eas instituit dici, prout refert Gulielmus fra-
ter ejusdem ordinis primus lector Valentinæ se-
dis in quadam lectura, quam edidit anno Domini
ni. 1273. post Valentia restitucionem anno tricesi-
mo

mose primo. Vbi multa notat de antiqua consuetudine, quam seruabant Christiani reperti inter Mauros prognati ab illis olim Christianis, qui habitauerunt Valentiae ante aduentum Mauros rum in Hispaniam, secundum præscriptum mos rem sacrificandi Gotthicum. Nam & semper in coluere aliqui Christiani Valentini inter Mauros, & habuerunt unam ecclesiam illasam, quam non containinauerunt Mauri pollutionibus suis, facientes eam Mesesquitam, sicut de alijs fecerunt: ea erat sub nomine sancti sepulchri, & nunc diuino Bartholomeo est dicata.

DE ADMINISTRATIONE

specierum, & accessu ad altare.

Cap. V.

PRÆTER VESTES SV-
pra dictas ad solennitatem sacræ li-
turgiæ requisitas ex apostolorum
ordinatione, secundum quod iam
olim Ezechiel præsignarat, sacerdo-
tes lineis induitos ministratores in atrio interiori.
Super quo Hieronymus: Vestibus lineis utuntur
Aegyptij sacerdotes, non solum intrinsecus, sed
extrinsecus, sed extrinsecus. Porro religio diuina
alterum habitum habet in ministerio, alterum in
usu vitaç communi. Requiritur etiam præpara-
tio altaris, vasorumq; sacrorum. Siquidem vius
men sæ mutatus fuit in vium altaris lignei, sicut

Ezech.

44.

Hiero.

34 + P A U L O M Q D 0 7 0 7

DE ACCES. AD ALTA.

iam supra dictum à est beato Petro Postea verò beatus Syluester. xxxiiij. à beato Petro , circa annos Domini .35. decreuit, non nisi super lapideum altare Missas celebrari deinceps , excepto altari eo ligneo in modū arcæ vacuefacto, in quo Missas celebravit beatus apostolorum princeps Petrus, & successores sancti martyres & pontifices. Quod usq; hodie seruatur in ecclesia Lateranensi, super quod etiam nullus nisi Papa, celebrare potest.

Hoc enim altare à ministris deferebatur tempore persequotionis, ubi curq; Papa latitabat, sicut dicit Alexander de Hales. Congruit certè materia ad significandum sacrificium illud Domini in petra consummatum. Vnde & placuit chrisma te consecrari, & insuper benedictione sacerdotali iniciari. Sicq; fiunt in altari seu ara, quæ dicitur altare portatile , quinq; noræ ad modum crucis transuersæ, ut efficacius notetur Christi passio, in ara illa crucis quinq; plagis insignita notabilibus. Quapropter quin olim in lege veteri de terra fuerit altare quandoq; quādoq; de lapidibus, quandoq; etiam de ligno, & auro : reiectis alijs ineptijs ad hanc significationē, lapis solus assumpitus est. Ornatur altare ipsum palla, ex beati Petri traditione: sicut eius discipulus Clemens refert in epistola ad Iacobum fratrem Domini. Ornatur velo, ornatur & candelabro ad lumen contiñendū, ornatur & cruce. Rationabiliter quidem, nam quod palla ornetur, congruū est pro dignitate

Halen.
tis. 4.
parte.
4.36.
De con
sec. d. i.
Altaria
& cap.
sequēti.

Exod.
20.d.
Deute.
27.2.
Exod.
38.a.
Nume.
4.b.
Clemēs
in Epis-
tola de
sacris
vestib⁹.
De con
sec. d.
1. Alta-
ris pale-
bus.a.

tate altaris, quod notat ecclesia, in qua thymia-
ma suffititur boni odoris, notat & Christum Dio-
nysio teste. Vnde olim erat religio laico, sedere in
altaris crepidine sine causa: nunc passim nemo ve-
retur super ara ipsa recumbere. Apponitur cande-
labrum ad lumen: ut viuam fidem nostram pro-
testentur charitate perpetua apud ecclesiam ser-
uata, pro igne iugi in altari Mosaico cohortan-
tur, item ut vigiles expectemus venturum spon-
sum vel media nocte. Adde, quod signa sunt lati-
tiae faces, & luminaria perpetuo presentis nobis
Domini, prout Hieronymus ait, contra Vigilan-
tium. Apponitur orarium altari ad notandum
munditiam, quod olim erat triplex: ut capitis,
manuum, ac pedum munditia notaretur. Sed nunc
simplex est, ut vniuersalis notetur munditia, sic
habet usus. Erigitur crux pro more apostolico, si-
c ut iam supra dictum est. Appendebantur & ve-
la, vnum sanctuario, velans que post altare erant:
quod sanctuarium dicebatur: aliud quod obuium
erat portas ecclesiae ingressis ante altare: sicut in
usu est ecclesiae tempore quadragesimae velare
conspectum altaris, & hoc velum dicebatur ia-
nuarium. De quibus beatus Clemens in supradic-
ta meminit epistola. Et haec a templi Iudaici ve-
lis translata sunt ad nos: de quibus in Exodo.

Haec pro aduentia maiestatis secretæ Dei
nostræ, cui litamus. Sed loco velorum usus inole-
uit imaginum, & picturarum in ecclesia ab ipsis
apostolis pro tempore introductus: prout constat

Diony-
sius. 4.
cap. eco-
clesi.
Hierac.

Leuiti-
6.c.

Matth.
13.2.

Hiero-
contra
Vigili-

Iuxta
dictum
Petri.
Ioh. 3.c.

Exod.
30. &
40.

DE ACCES. AD ALTA.

de imagine beatæ Mariæ, quæ Romæ extat in ecclesia sanctæ Mariæ maiore à Luca euangelista depicta: & de imagine Seruatoris, qua in Laterano seruatur intra sanctas sanctorum. Accedunt ornatui altaris corporalia dicta pro linteaminibus, quibus corpus Domini obuolutum traditum fuit sepulturæ à Ioseph de Ramatha. Panna sudarium representat, quo facies Domini tecta fuit, cum capite sacratissimo. Corporale verò maius, sindonem illam oblongam, qua reliquum reuerentissimum corpus coopertum fuit, & obuolutum, quasi institis, more Iudaico, prout Lazarus. Quum hæc ab apostolis sic statuta essent à principio, labentibus temporibus necesse fuit à sanctis patribus ad usum reualidari. Ita Sixtus Papa primus huius nominis à beato Petro septimus, circa annos Domini. 129. statuit ne quis corporalia, nisi delino mundo faceret, eoque non tincto.

Post quem etiā Eusebius medicus tricesimus primus à beato Petro, circa annos Domini. 310. idem decreuit: & Syluester, 33. à beato Petro, anno 315. idem sanxit: ut habetur de Consecratione. d.i. Consulto sacra quoque vasa, quibus mysterium hoc peragitur, calix, & patina sepulchrum significant, & lapidem ad ostium positum: quæ licet à principio nascentis ecclesiæ pro paupertate quandoque legantur lignea, quandoque vitrea: Zepherinus tamen decimus quintus a Petro, anno. 208. statuit, non nisi aurea argenteaque, vel stannea esse, pro dignitate rei, conuenientiaque ad suscep-

De con-
sec. d.i.
Consul-
to.

nem

nem specierum , sine hoc quod ebibatur humor,
 vel periclitetur consecratio. Quoniam autem &
 illis temporibus usus erat comunicandi sub utraque
 specie, erant etiam eiusdem metalli cum calice fi-
 stulae tot, quot satis essent ad communionem eos-
 rum, qui sanctum sanguinem eis sorbituri erant,
 quemadmodum & hodiernis temporibus sancta
 etas Domini nostri Papae dum communicat
 Missam celebrans, utitur aurea fistula huiusmo-
 di ad absorbendum sanguinem. De quibus fistu-
 lis in libro signorum dicto, apud Benedictinos
 mentio fit, & etiam in primis Carthusiorum con-
 stitutionibus. Nunc iam expeditis ijs, quae tracta-
 tum remorabantur ne ad vteriora procederet,
 considerandum quod sacerdos induitus in cornu
 altaris in quo dicitur euangelium, illis quinque ves-
 stibus, scilicet amictu, alba, cingulo, manipulo, &
 stola, antequam induat casulam, quam ibi habet
 in illo cornu altaris vadit ad aliud cornu scilicet
 Epistole, & ibi primò gyrat Missale ad officium,
 quod celebrando lecturus est, & videt ibi si est
 aliquod require, & preparat illud cum suis gy-
 ris: postea administrat. Quod sic facturus est, sinistra
 tenens calicem, dextera accipit uceolum vi-
 ni sine benedictione, & olfacit eum, ne sit vinum
 acetosum: funditque parum eius in terram, & po-
 stea in calice, quantum posset cooperire vngulam
 pollicis si ibi iminneretur: quod faciendo, dicit
 ex psalmo septuagesimo quarto Confitebimur,
 sequentem versum.

De con-
se. di. i.
V. a. a.

DE ACCES. AD ALTA.

Hunc humiliat, & hunc exaltat: quia calix in manu Domini, vini meri plenus mixto. Vinum hic repræsentat nobis diuinitatem, licet non eam contineant adhuc vini species, sicut post consecrationem continebunt, seu verius velabunt uniam humanitati corpori, & sanguini. Eapropter cum magna reverentia administratio hæc fiebat, delatioq; administrationis ad altare, prout Dionysius ait, in ecclesia primitiua. Ideo non bene dicitur vinum: Damus gloriam Deo, qui misericorditer Iudæum humiliat, Christianum exaltat, quia calicis præclari meraco vino Christianum potat, dum ad supernas felicitates eum destinat, fecibus autem Iudæum: dum poenas luiturū justè sanctum est: pro non suscepto Messia. Funditur autem parum vini in terram, ad insinuandā misericiordiam, qua descendit in terram, in opere incarnationis. Postea sacerdos benedicit aquam in vrceolo, & fundit parum eius in terram, & sic administrat in calice, dicens: In nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Ex latere domini nostri Iesu Christi sanguis & aqua exiuisse perhibetur, & ideo pariter commisceamus, ut omnipotens, & misericors Deus vtruncq; ad medelam animarum nostrarum sanctificare dignetur, per Christum dominum nostrum, Amen.

Repræsentat aqua fideles populos, unitos sanctissimæ diuinitati per sacramenta ecclesiastica in unitate charitatis, & gratiæ: & ita datur beneficio; qua videlicet egent Christi fideles, quan-

diu

diu viuunt in hoc seculo.

Fit hæc commixtio aquæ cum vino, quia Christus Dominus, prout Damascenus ait, accipiens calicem ex vino, & aqua tradidit discipulis. Hieronymus etiam ait, in eucharistia non debet offerri tantum aqua, sed vinum cum aqua mixtum: quia & vinum fuit in redemptionis nostræ mystérium, quum dicit: Non bibam à modo ex hoc genimine vitis. Et aqua mixtum post cœnam dabatur. Sed & de latere eius, quod lancea perforatum est, aqua cum sanguine est egressa. Hæc ille. Quia autem aliqui sobrietatis falcebantur in imagine, alij indocta temeritate, vel aquam sine vino, vel vinum sine aqua offerebant ad consecrationem. Ideo Alexander sextus a Petro, & primus huius nominis, circa annos Domini, 121. statuit vinum aqua permixtum consecrari. Sicut & iam olim Salomon prophetauerat, dicens de sapientia, quod miscisset vinum, secundū intellectum Cypriani, ad Celium, lib. 2.

Post hæc imponit sacerdos hostiam patinæ, sine aliqua benedictione, quia repræsentat etiam hostia nunc corpus Christi mysticum, in quo vniuntur fideles ipsi Deo, & ideo nec benedicitur: videatur tamen ne sit corrosa, fracta, vel maculata.

Sacerdos postea stans in altari medio disponit corporalia, & locat calicem in parte epistolæ sua per corporalia, iuxta aram, quæ tantæ debet esse capacitatibus, quod capiat calicem, & hostiam com-

Dama.
lib. 4.
de tide.
c. 14.

Hiero.
4. heb.
super
Paral.
vbi de
David
aqua
delli.
Io. 19.

De con
sec. d. 2.
Cap. 1.

Prouer
biorū
q. a. Cy
priani

DE CONFESSIONE.

perenter distates. Finitis his redit ad cornu Euangeli, vbi induit se, dicens:

Ingressus angelus ad eam dixit:
Ave gratia plena, Dominus tecum:
& respondens Maria, dixit: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.

Hæc dicens inter eundum, post osculatur casulam, & dicit orationem sequentem,

Domine Iesu Christe, qui dixisti:
Iugum meū suave est, & onus meum
leue: præsta, vt sic illud deportare
valeam, qualiter cōsequi merear tuam
gratiam, Amen.

Petitur consummatio sub lege Christi, qua nuptiali ueste Christianus uestitur: repræsentat coccineam uestem Christi, qua illius fuit a Pilato, & idcirco debet esse ad latera curta. In huius autem vestimenti acceptione beatus Vincentius Ferrer incarnationem sanctissimam recordabatur, qua verbū diuinū induit humanitatē nostrā.

DE CONFESSIONE, ET præcedentibus sacram liturgiam,

Cap. VI.

XPLETIS QVÆ NOS PRÆmonuisse oportuit, veniamus ad Missæ decursum. Sacerdos in cornu Euangeli existens, iturus ad gradus altaris



altaris gratiam spiritus sancti implorans, eleuat manus expensas in altum, & post coniungendo eas facit crucem in digitis pollicibus utriusque manus, imponendo dextrum sinistro, & oscularitur crucem dicens:

Veni sancte spiritus, reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende.

Non dubium, quod si sacerdos dispositus & deuotus accedit ad tantum sacrificium, spiritus sanctus superueniet in illum, & cor eius inflamabit, intellectum diriget & mentem. Et inter eundem ad gradus altaris specificat hoc idem sacerdos, dicens:

Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me.

Eleuauit manus Abraham dicens: **Leu. ma-** Gene.
nium ineam ad dominum Deum excelsum. **Eieua-** 14. g.
uit item Moyses orans, dum pugnaret Iosue con- Exod.
tra Amalech, & vicit. Unde & mos inoleuit ora- 17. d.
di manibus in celum protensis, prout Nehemias Neh. 8. Et respondit omnis populus: **Amen, amen, ele-** 8. b.
uans manus suas. Idem habetur 3. **Eidrae. 9. adno-** Eridra
tat & hoc Dauid in psalmo, Eleuatio(dicens)ma- e.f.
nuum mearum, sacrificium vespertinum. Item Psalm
psalmo alio: In noctibus extollite manus vestras 140. 2.
in sancta. Dominus item eleuatis manibus bene- psal. 133.
dixit discipulis. Ex quo Apostolus ait: Volo er- Luc. 24. g.
go viros orare in omni loco, leuantes puras ma- 1. Ti. 2.

DE CONFESSIONE.

nus &c. Sic ergo orātes leuamus in cælū manus im-
plorātes aduentū spūssancti, dū dicim⁹: Veni sancte
spiritus, & plicatis manib⁹ ad pectus, seu iunctis,
dicimus: Vias tuā Dñe &c. Si sacerdos non fuerit
indutus in cornu altaris, sed alio loco, siue sit mensa
iuxta posita, siue aliud aliquid dicto Veni sancte spi-
ritus, in loco in quo indutus est, poterit dicere versum
hunc inter eundū: Vias tuas Domine, his vel ter, quo-
ties oportuerit, quo usq; perueniat ad gradus alta-
ris, vbi dicet:

**Per signū sanctæ crucis de inimicis no-
stris libera nos Domine, Deus noster.**

Facit crucē in frōte cū digito pollice, & postea ma-
nu tota signat se à capite usq; ad cingulū, & ab hu-
mero sinistro ad dextrū, dicens:

In nomine patris, & filij, & spiritus sancti.
Petitur cōuersio ad deum de mala & sinistra con-
versatione ad bonā & dextrā. Insuper & infusio gra-
tiae Dei à capite ad cingulū, id est à principio & ele-
ctiōe, in aliqua bona cogitatiōe usq; ad opus, & ex-
ecutionem habetur hoc ex ordinatione Dñi, Mat. 28.

Sancti spiritus adsit nobis gratia.

Respondetur, A M E N.

Dicit Robertū Fracię regē edidisse sequētiā illā, que
incipit. Sancti spiri. cū respōsorijs illis, O Iuda & Ie-
rusalē. Et Cornelius Cēturiō: & Allelu ia, Eripe me;
ab ecclia aut̄ sumpta fuit hec cōpositio, quia valde
cōmoda est ad initiū cuiuslibet sc̄ti negotij. Fuit aut̄
hoc tēporibus Pap̄ bñdicti octauj, qui fuit à beato
Petro,

Petro.150.ad annos Dñi.1012.Sumit autē ex multis
passionibus sacre scripture,vbi post deprecationē à
sacerd. vel rectorib.factā acclamabat popul⁹, Amē.
Patet i Esdra,& plurib.alijs locis, psequit sacerdos.

Introibo ad altare Dei, Respondet.

Ad deum qui lătificat iuuentutē meā.

Versus est psal.42. & proponitur intērio sacerdo-
tis:videlicet reuereri & adorare Dominum. Antea
quitus post hunc versum dicebatur totus psalmus:
Iudica me Deus , ex ordinatione Papæ Pōtiani, qui
fuit à beato Petro decimus octauus,circa annos co-
mini.532.& multis ecclesijs Hispaniæ seruatur adhuc.

Cōfitemini Domino, quoniā bonus :

Quoniam in seculū m īsericordia eius.

Proponit fidelibus magnificentia diuinæ misericora-
dię,quod dat liberaliter omnibus ea,que sunt nostra
ad salutē,quæ nō nisi in seruitute Dei est,& quoniā
non est exhausta sua liberalitas aut facultas,sed vscq;
adhuc ab initio perseverat & vscq; in seculum seculi.
Psal.est.117.Humiliat se sacerdos dicturus cōfessionē.

Confiteor deo oīpotēti,& gloriosæ bea-
tæ Mariæ semp virginī,bctō Micha.ar-
changelo,bctō Ioh. baptis.sctis aposto-
Pet. & Pau.& oīb'sctis,& vobis fratres.

Pontianus Papa suprà dict⁹ statuit fieri cōfessionē
ante Missam,quia iust⁹ in principio accusator est sui.
Et q̄uis multe sint formę confessionis generalis hu-
iusmodi,tñ placuit hic formā eā ponere,qua vt̄ san-
ctissimus & beatissimus dñs noster Paulus tertius

DE CONFESSIO N E.

hodie feliciter ecclesiam tenens, qui nos dum Ro-
mæ ageremus, anno Domini. 1540. multis gratijs
de sua innata benignitate fauorabiliter prosequu-
tus est, licet immeritos. Aliqui sacerdotes quādo-
faciunt confessionem, faciunt mentionem illius
sancti, vel sanctæ, cuius Missam sunt lecturi, vel
cui altare illud, in quo celebraturi sunt dicatum
est, addentes prædictis, & beato Vincentio, vel
beatæ Margaritæ, vel &c.

Et est aduertendus ordo hic inter sanctos, quos
nostræ huius confessionis testes facimus & inter-
cessores: quia debet esse secundum quod sancta
nunc ecclesia utitur in lætanijs.

Quia peccavi nimis cogitatione,
verbo, & opere, mea culpa, mea cul-
pa, mea maxima culpa. Ideo precor
beatam Mariam semper virginem,
beatum Michaelem archangelum,
beatum Iohannem baptistam san-
ctos & vos fratres, orate pro me Do-
minus Deum nostrum.

Laudabilis consuetudo fuit inter Christianos
antiquos dicere confessionem in primo ingressu
ecclesie coram sacramento sanctissimo: si ibi re-
seruatur. Caveatur tamen sacerdos facere aliquā
specialem peccatorum in hac confessione, quia
non licet facere nisi generalē. Sequitur respon-
sio,

Misereatur

Misereatur tuī Omnipotens deus,
& dimissis peccatis tuis perducat te
ad vitam æternam, Amen.

Oratio est hæc deprecativa, quæ à circumstan-
tibus desideratur sacerdoti liberatio, & remissio
peccatorum, sic propria postulatur à Deo : sed non est
absolutio. Postea facit populus vel minister con-
fessionem positus ad partem Epistolæ, vbi repo-
nendæ sunt ampulæ administrationis & sacerdos
responderet,

Deo gratias. Misereatur vestri
omnipotens deus, & dimissis pecca-
tis vestris perducat vos dominus no-
ster Iesus Christus cum suis sanctis
in vitam æternam, Amen.

Hæc particula, Deo gratias, sumitur ex consue-
tudine ecclesiæ, quæ a Christo habuit vocabu-
lum hoc gratias agendi. Sicut enim iam supra di-
ctum est, primus Christus legitur in scriptura ca-
nonica noui testamenti gratias egisse Deo: quum
de nullo alio legitur in scriptura veteris testamen-
ti, quæ apud Hebræos canonica habeatur, quod
de proposito sub nomine gratiarū actionis Deo
gratias egerit: quia primus Christus & solus is,
qui retribuit Domino pro omnibus, quæ Domi-
nus mundo tribuerat calicē salutaris. Iuxta quod 1. Thes.
Paulus hortatur nos, in omnibus gratias agere. 3.4.
Vnde & beata Maria habuit in viu dicere tem-

DE CONFESSIONE.

per Deo gratias, quādo alicui occurrebat , prout dicit Hieronymus , & ab ea sumptus modus hic est salutandi inter personas religiosas. Est etiam hæc oratio deprecatoria , & sic quando dicit sacerdos . Misereatur &c.eleuat manus expensas in celum,& pōst descendendo iungit manus rectas , & facit crucē in pollicibus, superponēdo dextrū sinistro:& quando dicit, Iesus, osculatur crucem illam factam.Sic est consuetudo introducta à beato Andrea, qui legitur ita fecisse.

Indulgentiam,absolutionem,& remissionem peccatorum vestrorum tribuat vobis omnipotens,& misericors dominus,Amen.

Facit hic signum crucis manu dextrā in modū absoluētis , & remittuntur venialia , imponit tunc sinistram manum pectori.Quidam referunt Damaso institutionem hanc dicendi confessio- nem ante Missam , & quod rogatu Hieronymi sic instituerit:potuit tamen fuisse, vt institutione Pontiani iam dilabente , revalidauerit eam Da- masus . Deinde subdit sacerdos:

Adiutorium nostrum in nomine domini:Qui fecit celum & terram.

Ex psalmo.123.confortatur animus Christianus in diuino presidio , quoniam semper nobiscum Dominus , & usq; ad consummationem seculi, prout Matthæus.

Matth.
vtri.

Sit

Sit nōmen domini benedictum:
Ex hoc nunc, & vscq; in seculum.

Ex psālmo. 112. acclamatur Domīno laus; & be-
 nedictio, per secula cuncta, & ponitur statim be-
 nedictio nostra per orationem Dominicām, in
 qua ostendit magnificētia Dei, & ideo dicitur:

Benedicāmus domino: deo gra-
tias. Pater noster. Et ne nos inducas
in tentationē: sed libera nos à malo.

Erigit se sacerdos, & accedit ad altare.

Deus tu cōuersus vivificabis nos:
Et plebs tua lætabitur in te. Ostende
nobis domine misericordiam tuam:
Et salutare tuum da nobis. Domine
exaudi orationem meam: Et clamor
meus ad te veniat. Oremus.

Omnes isti versiculi sumuntur ex psalmis. Pri-
 mus & secundus ex psal. 84. Benedixisti Domine
 terram tuam. Tertius est ex psal. 101.

Aufer à nobis domine cunctas
 iniqūitates nostras, vt ad sanctas an-
 citorum mereamur puris mentibus
 introire, per Christum dominum no-
 strum.

Hanc orationem, sicut & cætera alia quæ non
 fuerint expressa dici altè, debet dicere sacerdos vo-

Exaudi
bilis e-
stō.

Ad pae-
gēdum
sacrifi-
ciūm.
Effecū
da sacra
mento.

DE CONFESSIO NE.

ce submissa, sic quod astantes non audiant. Et sic ex more antiquo erat ecclesia, quod nemo audiens Missam intrabat cancellos sacelli, prout Bonifacius Papa, huius nominis, qui fuit quinquagesimus sextus a beato Petro, anno Do. 531. ordinavit. Sacerdos dicens haec verba accedit ad altare.

Scito autem quae sunt intelligibili voce dicenda, & quae sub silentio. Primo omnia illa premissa ab eo loco, quo indutus sacerdos tendit versus gradus altaris, dicens: Vias tuas Domine, usque ad hanc orationem exclusiæ: Ausen a nobis Domine, debet dicere altè, preter Pater noster, quod, dicitur sub silentio. Item Introitus, cum Gloria patri, Kyrie eleison, Gloria in excelsis. Dominus vobiscum: Oremus, flectamus genua leuate, quando debent dici, Oratio, Prophetiae, Epistola, Responsorium, Graduale, Alleluia, Tractus, Euangeliū, Credo, Dominus vobiscum, Offer torium, Orate fratres, Per omnia secula seculorum, Praefatio, Sanctus, Nobis quoque peccatori bus, Per omnia secula seculorum, Pax domini, Agnus Dei, Pax tecum, Domine non sum dignus, Communio, Dominus vobiscum, Postcommunio, Humiliate capita vestra Deo: Dominus vobiscum, Ite Missa est, vel Benedicamus Domino, vel, Requiescant in pace, Benedicat vos omnipotens Deus &c. Omnia haec debent dici alta voce & intelligibili. Reliqua omnia debent dici voce submissa, sic quod a circumstantibus non audiatur plene. Non tamen quod dicantur voce in artis

Inarticulata, & sine prolatione, quia hoc nullatenus debet fieri: quia debent omnia, quæ in Missa scribuntur legi, & dici voce formata, & articulata: nam alias non diceretur Missa. Hæc omnia notauit Iohannes Kuckardus in ceremoniali Romano.

DE PRIMA PARTE MISSÆ, Cap. VII.



CCEDENS AD ALTARE sanctum sacerdos dicit orationem sequentem: & quando incipit dicere: Conscientias nostras, facit crucem super pectus suum dextro pollice, & interim sinistram manu in ponit super umbilicum suum, parum infra locum ubi crucem facit: & quando dicit, Visitando purifica, facit eodem pollice crucem super altare, videlicet super corporalia, & quando dicit, Iesus Christus, humiliando se osculabitur eam crucem.

Conscientias nostras, quæsumus domine, visitando purifica, ut veniens Iesus Christus filius tuus dominus noster cum omnibus sanctis, parata sibi in nobis inueniat mansionem.
Qui tecum &c.

Quis fuerit autor duarum harum orationum,

DE PRIMA PARTE MISSÆ.

Ausser à nobis, & Conscientias nostras, nondum inueni, quicunq; tamen fuerit, sancta mater ecclesia eis vtitur. Petitur à Domino per eas congrua dispositio ad celebrandum in beneplacito suo. Dicta præcedente oratione, salutat crucem in altari positam sacerdos ex antiquo more, quo ante liturgiam sancti apostoli soliti erant crucem salvare, dicens:

Salve crux pretiosa, quæ in sanguine Christi dedicata es, & ex membris eius tanquam margaritis ornata.

Linus Papa primus post Petrum scribens eccl sijs orientalibus de passione beati Petri Græco sermone, refert dixisse beatū Petrum coram cruce genibus flexis orationem hanc, quando Roma in monte aureo crucisigendus erat; idem quoq; legitur fecisse in Achaia beatus Andreas, quando passurus erat.

In tuo conspectu, quæsumus domine, munera nostra sint placita: ut nos tibi semper placere valeamus, per Christum dominum nostrum.

Autumor hanc orationem esse editam à beato Celestino Papa primo huius nominis, & ab beato Petro, circa annos Domini .427. quem legi fuisse studiosissimum circa Missæ celebracionem, & instituisse dici psalmos ante Missam, prout iam suprà dictum est.

In

In aliquibus ecclesijs est consuetudo dicendi orationem sequentem, post Aufer à nobis.

Oramus te domine, vt per merita sanctorum tuorum, quorum reliquiæ hic sunt, & omnium aliorum sanctorum indulgere digneris omnia peccata mea. Amen.

Instituit Papa Felix primus huius nominis, & 26. à bea. o Petro circa annos Domini. 267. Missas non celebrari, nisi super memorias martyrum, aut in locis consecratis, videlicet ecclesijs. Postmodum conciliū Africanum statuit nō dici, nisi super memorias martyrum, si extra ecclesiā conuentualem dicantur, & ponit de cons. d. i. placuit. Et sic Felix fecit hanc orationem, Oramus te. Dis Etsi orationibus istis ad medium altaris, explicat corporalia sacerdos & interim dicit: Nos autem gloriari oportet in cruce Dñi nostri Iesu Christi, in quo est salus, vita, & resurrectio nostra, per quem saluati & liberati sumus.

De con
sec. d. i.
Sicu.
nō alijs.

De con
se. dia.
placuit

Explicatis corporalibus, procedit sacerdos de medio altaris ad cornu Epistolæ ad legendum Introitum, & inter eundum dicit versus: Adiutorium nostrum in nomine Domini. Sit nomen Domini benedictum. In nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Et signat se à capite usq; ad umbilicum, & humero sinistro ad dextrum: Sicq; dicit Introitum totum cum Gloria patri. Et iterum signat se dicendo. In nomine patris, & filij, & spiri-

DE PRIB PARMISSÆ.

tus sancti, & repetit Introitum usq; ad versum, si-
cū iam supra dictum est.

Salve sancta parens, enixa puerpe
ra regem, &c.

Suscepimus pro sacro textu declarādo Missam
beatæ virginis Dei genitricis Mariæ, quæ nostra
mediatrix est, vt impetrēt à filio suo gratiam spi-
ritus sancti ad verum, germanumq; sensum san-
ctorum verborum Missæ reddendum. Dicto In-
troitu redit sacerdos ad altaris mediūm, dicens
inter eundum: Kyrie eleeson,

kyrie eleeson, kyrie eleeson, kyrie
eleeson. Christe eleeson, Christe ele-
eson, Christe eleeson. kyrie eleeson,
kyrie eleeson, kyrie eleeson.

Incipit sacerdos, & ipse finit, dicens quinque,
respondens autem dicit quater. Petitur diuina mi-
sericordia; Nam Kyrie, idem est quod Domine, &
eleeson miserere, quasi dicat, Christe miserere, Dñe
miserere, nouies. Efficacia verborū istorum in hoc
maxime coniectatur, quod sancta mater ecclesia
ab eis auspicatur in letanijs exauditionem suam,
quando sanctorum suffragia exposcit. Syluester
primus huius nominis, qui dominium ecclesiarū
suscepit ab imperatore Constantino, circa annos
Domini, 315. statuit ter cantari, Kyrie eleeson, Chri-
ste eleeson, Kyrie eleeson, ex usu Græcanicæ ecclē-
siae; sed Gregorius primus, prout iam supra dis-
ctum

Etum est, statuit nouies decantari, pro numero
nouem ordinum angelorum: patet, quod ipse met
in epistola quadam testatur, ut per hoc designe-
tur, nequin ab hominibus Christi aduentum de-
sideratum, verum ab angelis. In ecclesia Graeca
promiscue cantabatur a clericis & sacerdotibus:
sed beatus Gregorius praedictus ordinavit, quod
de cætero in ecclesia Latina decantaretur a cler-
cis solis.

Greg.
in reg.
lib. 7.
ca. 63.

Gloria in excelsis Deo: & in terra pax hominibus bonæ uoluntatis.

Thelesphorus hoc canticum lœtitiæ angelos-
rum statuit cantari in Missa, sicut iam supra di-
ctum est. In quo Dominicæ incarnationis nota-
tur importantia: vide hic, gloria Deo in sedibus
sublimibus excelsis, & hominibus iam pax in ter-
ra apud eos, post tanta discrimina rerum, tot, &
tantas iacturas, quum iam & homines bonam
voluntatem habere coepit, quod in Maria &
Ioseph post Christum hominem exordium sum-
pserat. Aduerte quod angeli hoc solum decanta-
runt voce formata, prout Luce secundo habetur.
Et sic antiquitus in Missa solum decantabatur
angelorum cōpositio apud Christianos primos.
Sed postea dicitur Hilarium Pictauorum episco-
puin complesse hymnu eum usq; ad finem sicut
modò cantatur: & completum sic institutum de-
cantari a Papa Symmacho. scilicet a beato Petro, cir-
ca annos Domini. 301. Tamen Innocentius ter-

Luce.

DE PRI. PAR. MISSÆ.

tius huius nominis. 172. à beato Petro , circa annos Domini. 1197. recitat completum fuisse , non ab Hilario, sed à Thelesphoro beato, & a se institutum cantari, de quo iam satis supra.

Laudamus te, benedicimus te, adoramus te, glorificam⁹ te, gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam.

Quando sacerdos dicit, Gloria in excelsis Deo, eleuat manus expansas in celum, & iungit quando dicit, Gratias agimus, humiliat se aliqualiter ut corporis gestus conformet verbis.

Domine deus rex cœlestis, deus pater omnipotens: domine fili unigenite Iesu Christe, Spiritus & alme orphanorum paraclete : domine deus agnus dei, filius patris, primogenitus Mariæ virginis matris, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

Damus laudes, & gratiarum actiones Domino, qui prophetarum compleuit vota, & desideria patrum, inittens filium suum, qui legem completeret: & ideo hoc cantico laudatur Trinitas & unitas: Vnitatis quidem ibi, Domine Deus rex cœlestis. Trinitas verò in reliquis: persona patris ibi: Deus pater omnipotens: persona filij ibi, Domine fili, persona spiritus sancti ibi; Cum sancto spiritu,

spiritu. Cætera adiacentia ad Christi persinente conditiones, iuxta prophetarum vaticinia.

Qui tollis peccata mundi, suscipe deprecationem nostram, ad Mariæ gloriam. Qui sedes ad dexteram patris, miserere nobis. Quoniam tu solus sanctus, Mariam sanctificas. Tu solus Dominus, Mariam gubernans. Tu solus altissimus, Mariam coronans, Iesu Christe, cum sancto spiritu in gloria dei patris, Amen.

Particulæ istæ pertinentes ad beatam Virginem, appositæ sunt ex deuotione, & propter consuetudinem admissæ ab ecclesia Romana. Adhuc autem nondum mihi compertum est, quis earum autor fuerit. Dicuntur in festiuitatibus beatæ Mariæ, alias non, nisi legatur Missa de beata Maria. Totus tamen hymnus dicitur in officio, cuius matutinis cantatum fuerit, Te deum laudamus, exceptis ferijs secunda, tertia, & quarta Rogationum, ante festum Ascensionis; in quibus non dicitur, Gloria in Missa, licet dictum fuerit, Te deum laudamus, propter tempus paschale: item excepto die coenæ Domini, & sabbatho sancto, in quibus dicitur, Gloria, & non dicitur, Te deum. Hymnus hic dicitur in altari medio, ex ecclesiæ Romanæ consuetudine, ibi inchoatur, & ibi completur ad notandam duorum populorum

DE PRI. PAR. MISSÆ.

vniōnem, Iudæorum, & Gentiliū in vnum corpū Christi: item & angelorum & hominum in vnam ecclesiam: propter quod partem cantici huius cantamus ab angelis editam, partem compoſitam ab hominibus. Quando autem nominatur Jesus, fit humiliatio iuxta illud Apostoli: In nomine Iesu omne genu flectatur: & idem fit in nomine Maria, cum aliqua differentia. Hyinno finito osculatur altare, ad innuendam Christi vniōnem cum ecclesia sua, quod semper repræsenta-
Phil. 2. b Cāt. 1. 2. Mat. 10
tur per osculum secundum, quod dicitur in canticis: Osculetur me osculo oris sui. Sed quoniam non fit quis de ecclesia, nisi per mundi crucifixio-
nem in semetipso, iuxta illud Matthæi: Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. Ideo primus sacerdos cruce se signat, antequam osculetur altare, & hoc semper seruatur, quum sacerdos salutat populum versus ad eum.

Domīnus vobiscum.

Respondetur,

Et cum spiritu tuo.

Vertit se populo sacerdos, & salutat eum manib[us] expansis, & quando est iam versus populo, & dicit, vobiscum, iungit manus, quasi signas, & comprehendens omnes astantes. Sumitur verbum hoc ex libro Ruth, quo salutauit Booz mes-
Ruth. 2. 2. Tim. viii.
fores suos: Responsorium verò ex Epistola Pauli ad Timotheum, ubi dicit sic, Dominus Iesus sit cum spiritu tuo. Sothier Papa duodecimus post beatū

beatum Petrum anno. 174. ostendit ex vsu ab an-
tiquo seruato salutari populum per , Dominus
vobiscum : Vnde constat talsum dixisse eos, qui
hoc inuentū asserunt Symmachi, qui fuit. 52. post
beatum Petrum anno. 101. Considerandū autem
quòd beatus Gregorius in ordinatione vltima
sui Missalis , septies salutari populum ordinavit
distinctis interuallis, quum in officio Ambrosia-
no aliquoties dicatur septies Dominus vobiscū,
Dominus vobiscum,Dominus vobiscum, Do-
minus vobiscum, Dominus vobiscum , Domi-
nus vobiscum,Dominus vobiscum. Quæ Græ-
goriana ordinatio quadrat cum septem partibus
Missæ, prout iam satis in prologo. Septem autem
fuere Domini apparitiones in die resurrectionis
suæ, quibus leuamen suis magnum Dominus de-
dit ab opprimentibus malis. Nam beatam Vir-
ginem mœror & luctus opprimebat: apostolos,
& discipulos diffidentia fidem confusans:appa-
rens autem Dominus matri, gaudio replete an-
nam eius, Magdalenę aperuit oculos intellectus,
sicut & discipulis in Emmaus, apostolis prabuit iē-
contrectādum,sicq; leuauit eos ad fidem firinam
& vniuersalem , supra id quod ipsi poterant ex
seipsis dans spiritum credendi in se. Septem itaq;
potiores fuerunt Domini apparitiones in ea die
resurrectionis sanctæ. Primò enim apparuit glo-
riosæ matri, licet non scribatur hoc in euangelijs,
quia matris relatio non erat factura fidem ludet
incredulis. Et hæc apparitio notatur in ea saluta-

De con-
sec. d.j.
hoc quo-
que des-
sundus

DE PRI. PAR. MISSÆ.

Lucæ tione, qua sub diuersa forma salutat populum sacerdos, dicēs: Pax Domini sit semper vobiscum.
24. c. Secundò, apparuit Dominus Petro, iuxta illud
1. Cor. Lucæ, Apparuit Simoni. Tertiò apparuit Iacobo
15. 2. Alphæi, iuxta Paulum. Dicit autem Hieronymus
Hiero- libro de viris illustribus, quod Dominus appa-
nymus ruit Iacobō diesuæ resurrectionis, dicens ei: Com-
de viri. ede frater, quia filius hominis iam surrexit à
illustri- mortuis. Idē dicit Nicodemus in Euangelio Na-
bus. zatorum. Quartò apparuit Magdalena iuxta
Marcum. Quintò, apparuit mulieribus, quæ cum
Matth. Magdalena erant reuertentibus a monumento,
28. b. dicens: Auete, iuxta Matthæum. Sextò, apparuit
Lucæ discipulis duobus in Emmaus iuxta Lucæ. Postre-
4. c. mò eadem ipsa die apparuit decem discipulis con-
Ioh. 20. gregatis, ianuis clausis propter metum Iudaorum,
& dixit eis: Pax vobis, iuxta Johannem. Itaq; de
istis septem apparitionibus, quæ ipsa die resurrec-
tionis Dominicæ factæ fuerunt, assumptæ sunt
salutationes istæ septem in Missa: ut quemadmo-
dum Dominus dedit ihs, quibus apparuit per
præsentiam suam, spiritum superiorum viribus
eorum, ita & modò comprecatur sacerdos, ut fa-
ciat deo spiritum gratiæ suæ ad attenius deuo-
tiusq; adiungendum actioni illi sacrae.

Oremus: Concede nos famulos
tuos, quæsumus domine deus &c.

Quis fuerit Collectarum autor cronographi
varie senserunt, quidam Symmacho, qui quin-
quages-

quagesimus secundus post beatum Petrum fuit, anno. 501. alij Gelasio, qui fuit quinquagesimus post Petrum, anno. 494. tribuunt. Sed cōstat, quia neutri certum affirmarūt: quoniam Innocentius, qui fuit quadragesimus primus post Petrum, anno. 407. fecit orationem illam: A cunctis nos, quae sumus Domine, mētis, & corporis, &c. Augustinus etiam contemporaneus eius fecit orationem illam: Deus, qui viuorum simul & mortuorum dominaris, &c. Itaq̄ iam ante Symmachum, & Gelasium v̄sus erat Collectarum in ecclesia. Dis-
 cētum fuit autem suprà iam, quòd ex apostolorū constitutione v̄sus Collectarum in ecclesia fuit introductus, ex testimonij Tertulliani, Dionysij, & Clementis Petri proximi successoris. Hic sunt duo aduertenda: primum, quòd si est dicenda prophetia temporibus ferialib⁹ post dictum Kyrie eleeson, non dicitur, Dominus vobiscum. Sed reuertitur sacerdos ad cornu Epistolæ, & dicit, Oremus, quando redit ad Missale, & tunc dicit, flectamus genua, leuate: quando debent duci, & dicit orationem manibus expansis mediocri-
 ter. Sic quòd eleuatio earum non sit super hume-
 ros, & una manus alterā respiciat. Et debet Mis-
 sale sic esse positum in altari, quòd medium Mis-
 salis respiciat ad cornu posterius altaris: ita quod
 non sit Missale positū rectum in altari, sed quasi
 transuersaliter. Hoc autem fit, quia sacerdos orat
 ad quatuor mundi partes, ut in ceremonijs suis
 repræsentet conuocationem ad Christum, & eius

Oratio
Missale ad
quatuor
mundi
partes

DE PRI. PAR. MISSÆ.

fidei à quatuor partibus mundi: item ut ostendatur salubre esse sacrificium istud sanctum orbi toti per quatuor angulos mundi notato, pro quo fuit facta Christi redemptio: Orat ad occidem, quando vertit se ad populum salutans eum, dicens, Dominus vobiscum. Orat ad orientem, quando est in medio altari; nam sic debet esse altare dispositum, quod ad orientem respiciat sacerdos stans in medio eius. Orat ad meridiem, quando dicit Introitum, Orationem, Epistolam, & cætera omnia, quæ in cornu Epistolæ dicuntur. Orat ad aquilonem, quando dicit Euangeliū & Offertorium. Fit autem oratio ad orientem, ut peccata deleantur, quæ ab oriente per Adam veniunt in posteros: ad occidentem, quia quando Christus obiit ad occidentem respiciebat: ad meridiem, quia a meridie sperabatur venturus Mæsius Iudeus: iuxta illud, Deus ab austro veniet, & sanctus de monte Pharam, qui mons ad meridiem positus est terræ sanctæ: ad aquilonem oratio fit, quia a diabolo præcessit peccati suasio qui per aquilonem notatur, quum dicitur, Ab

Hie. i. c. aquilone pandetur omne malum. Orare autem, Tertul. prout Tertullianus ait, geniculis poenitentis est. de coro na mili. Vnde mos in quadragesima flectendi genua. Quicquid autem stans orat, tanquam iam veniam contigit, gratias agit. Publicanus stans dicit oratione a Luca: sed Stephanus genibus positis clamavit ad Dominum, Actuum. 7. sedendo autem oravit & David coram Domino; ut dicit textus: quumq;

quumq; venisset rex, & sedisset coram Domino,
 dixit &c. vbi Augustinus multa dicit de oratio-
 ne à sedentibus facta: nam & Elias sedens orauit,
 & pluviā impetravit: sed neq; prohibemur iacen-
 tes orare, iuxta psalmum: Lauabo, per singulas
 noctes lachrymis meis stratum meum rigabo. Se-
 cundum aduertendum, quod usq; ad conclusio-
 nem orationis tenentur manus expansæ, & in ipsa
 conclusione orationis iunguntur, quando dicit,
 Per Dominum nostrum, vel alias si aliter debet
 concludi. Et quando nominat Iesum, humiliet se
 mediocriter sacerdos: post dicet alias orationes, si
 dicturus est, & concluduntur omnes sub conclu-
 sione ultimæ. In ordine autem earum seruabitur
 ordo lætaniæ, videlicet, primo ponetur oratio
 pertinens ad sanctissimam Trinitatem siue ali-
 quam eius personam: dein crucis, vel defunctorū,
 quia ad filium pertinent, qui secunda persona in
 triade est: Deinde oratio beatæ Mariæ, postea an-
 gelorum, post hæc apostolorum, & sic cōsequen-
 ter. Seruato tamen quod si commemoratio fiat
 de spiritus sancto & de defunctis, ponatur prior
 oratio defunctorum, quia ad secundam personam
 attinet: & post eam oratio de spiritus sancto, qui
 tertia persona in diuinis est. De numero verò ora-
 tionum siue collectarum dicitur, quod beatus Pe-
 trus apostolus ter precari solitus erat, ideo tres
 collectæ dici debent. Quando autem ecclesia de-
 terminat fieri collectas aliquorum sanctorum,
 prout in octauis natalis Domini, non sunt pra-

Quot
 oratio-
 nes des-
 bēt dis-
 ci i Mis-
 sa.

DE SEC. PAR. MISSÆ.

termittendæ ad surrogandum collectas alias loco earum, quæ sunt de sancto Stephano, Iohanne, & Innocentibus: sed quando non determinat, sic debet in Missa ordo seruari, qui in officio servatus est: puta, si fit officium de sancto aliquo, & commemorationis alterius, debet ita fieri in Missa: Si autem voluerit sacerdos pro deuotione alias collectas dicere, poterit tres, vel quinque, vel septem legere, seruato semper impari numero. Sed non debet ultra septem progredi: quia septem tantum

Matth.
6.b. orare nos docuit Dominus petitiones, in oratione sua, Pater noster. Papa Clemens primus huius nominis, post Petrum vero tertius, anno Domini. 93. & Anacletus quartus a Petro, anno. 102. instituerunt dici, Amén ab astantibus, ut habetur i. Paral. 16. orantibus sacerdotibus: benedictus Dominus Deus Israel ab æterno, & vsque in æternum, & dicat omnis populus, Amén, & hymnum Deo.

J. Para.
16.d. Et haec de prima parte Missæ.

SEQVITVR SECUNDA
pars Missæ,

Cap. VIII.

Lectio libri sapientiæ. Ab initio, & ante secula creata sum, &c.



XPLETA PRIMA PARTE
Missæ, que vocatur preparatio, qua videlicet preparatur populus per orationem ad mysterium celebrandum, accedit secunda pars, quæ à quibus-

quibusdam dispositio nominatur, qua per confi-
dentiam disponitur populus ad mysterij conse-
quendum effectum, sicut per præcedētia paratus
est ad deuotionem. Continet autem hæc pars, ab
Epistola vscq; ad Offertorium. Innocētius tertius
huius nominis dicit Epistolam repræsentare offi-
cium baptistæ Iohannis præcursoris Domini, qui
videlicet animos disponebat rudes Iudeorum ad
venturam statim post se doctrinā salutis, dicens:
Pœnitentiā agite, appropinquabit enim regnum
celorum. Dicuntur epistolæ Pauli manibus iun-
ctis, cæteræ vero manibus plicatis, vel quomodo
visum fuerit melius fæcilius celebranti.

**Benedicta & venerabilis es sacra
virgo Maria, quæ sine, &c.**

Lecta Epistola succedit Responsoriū, quod
habet multas partes, scilicet, Graduale, Allelu ia,
vel Tractum. Graduale, prout Rabanus ait, ideo Raban⁹
sic vocatur, quia olim ad gradus ambonis, siue
pulpiti in quo lecta erat Epistola, catabatur. De-
signabatq; discipuloruin sequelam ad illud magi-
steriū quod in Epistola designatū fuerat. Tempo-
re autē Innocentij tertij mutatus fuerat locus, &
quū antē ad gradus decantare Epistola, iam tūc
inoleuerat usus, vt ad gradus decantaretur altaris,
quod etiā postea temporis discursu sublatū est. Po-
nitur versus in Graduali, vt significet verā pœni-
tentiam non nisi per reuersionē ad cor, posse fieri.
Cantatur Allelu ia, prout Hieronymus ait, ex
usu ecclesiæ Hierosolymitanæ: sicq; Damasus

DE SEC. PAR. MISSÆ.

instituit cantari. Temporis autem discursu exole-
tum restituit Gregorius. Repræsentat autem gau-
dium, quod ex propinquitate regni celorum ha-
buerunt sequaces sanctæ doctrinæ: nobis autem
insinuat cordialem lætitiam, quam Dominus in-
fundit in cordibus eorum, qui Christi disciplinā
amplectuntur. Tractus ponitur loco Allelu ia,
ex institutione Papæ Symmachi, qui fuit. 52. post
beatum Petrum anno. 401. Repræsentat nobis, &
ob oculos ponit incolatus vitæ huius prolixita-
tem, ac miseras protractas inter obediendum le-
gi euangelicæ. Prosa ex institutione Papæ Nico-
lai, qui fuit. 107. post Petrum, anno. 859. loco cu-
iusdam pneumaticis, quod quandoq; cantabatur
post Allelu ia, ad figurandam seu innuendam glo-
riam illam, quam expectamus inenarrabilem. Et
sic est compositio quædam, quæ videtur esse sine
ordine ac mensura, quum tamen & ordinem &
mensuram habeat certam. Seruantur Prosæ ad-
huc ex ecclesiæ ordinatione in præcipuis & po-
tioribus solennitatibus prout sunt Natale Do-
mini, Pascha, Pentecoste &c. fuere autem auto-
res Sequentiarum, prout dicit Notherus abbas
sancti Galli, Adam de sancto Victore, Herman-
dus Contractus, & aliij.

Expletis his, sacerdos accipit Missalem, & trans-
fert eum ad locū Euangeliū, & quando est coram
medio altari humiliat seipsum, & Missalem cru-
ci, quæ est in medio altaris sita, & locat Missalem
in parte ubi prius indutus fuit. Si autem situat
eum

eum, quod medium eius respiciat de directo cor
nu posterius altaris, & sit de transuerso positum.
Inter eundum autem dicit:

Munda cor meum, & labia mea
omnipotens deus, qui labia Esaiae
prophetæ calculo mundasti ignito:
Ita me tua gratissima miseratione
mundare digneris, ut tuum sanctum
euangelium dignè valeam nuntiare,
per Christum dominum nostrum.

Petitur dispositio ad complendum ministerium
sicut factum fuit in Esaia, qui dicebat Domino
se inhabilem esse ad mandatum eius exequendum.
Misit autem Dominus angelum, qui accepto ti-
tione paruulo de igne magno altaris, infusit la-
bia eius, ponens id intra os, linguam faciens expe-
ditam, efficacemq; ad omnia Domini mandata.
Post hanc expetitionem, Missalemq; collocatum,
sacerdos non mutans locum, vertit se ad medium
altaris, & dicit;

Iube domine benedicere. Respon-
detur: Domin⁹ sit in corde meo, & in
labijs meis ad pronuntiandum san-
ctum euāgelium domini nostri Iesu
Christi. In nomine patris, + & filij, &
spiritus sancti, Amen.

Petit sacerdos benedictionem a Domino ad

G

DE SEC. PAR. MISSÆ.

euangelium dicendum, vel si cum solennitate dicitur Missa, diaconus petit a sacerdote: quia is, qui prædicaturus est euangelium, debet esse missus, ne sit intrusus, qui sese ingessiterit computandus inter eos, de quibus Iohannis. 10. Dominus dixit, Quotquot venerunt ante me, fures fuerunt & latrones. Vbi Augustinus ait: Venerunt, inquit, non qui missi sunt: quomodo prædicabunt, nisi mittantur? Quum Missa dicitur pro defunctis, non petitur benedictio huiusmodi, quia non speratur fructus prædicationis animabus eis, quū iam sint in termino. Quādo dicitur, in corde meo, facit crucem super cor: quando dicit, in labijs, facit crucem super labia: & quando dicit, In nomine patris, signat se corpore toto. Quando autem dicebat, Iube Domine benedicere, eleuandę erant manus aliquantulum in celum.

Dominus vobiscum: Respondeat,
Et cum spiritu tuo. Sequentia sancti euangeli secundū Lucam. Respondeatur, Gloria tibi domine, &c.

Quando sacerdos dicit, Sequentia, facit crucem super principium euangeli quod lectorus est: & quando dicit, euangeli, signat labia sua: & quando dicit, secundum Lucam, signat pectus suum. Fit hoc, ut notetur Christiana prædicatio corde verbo, & opere, & quod non est verecundari nos de doctrina euangelica: immo gloria nostra tota in ea sita est. Solennitas circa lectionem euangeli in loco

Ioco edito, Thelesphoro tribuitur. Quod autem
audientes debeat stare Anastasius ordinavit. fuit
autem hic quadragesimus post beatum Petrum,
anno. 404. & habetur de consec.d.i. Apostolica.
Quando nominatur Iesus, aut Maria, debet incli-
nari caput, genuq; flecti ab omnibus. Finito euangeli-
o, si non est pro defunctis, sacerdos osculatur
textum, & dicit: Per euangelica dicta deleantur
nostra delicta, vel si fuerit sancti Iohannis, dicit:
Per sancti euangeli verbum, possideamus cele-
ste regnum: minister vero dicit, Laus tibi Christe.
Quum autem haec secunda pars comprehen-
dat Epistolam & Euangeliū, non salutatur po-
pulus, nisi ad Euangeliū: quia nostra confiden-
tia in miserationibus Domini innititur, quæ sub
tempore gratiæ, ad quas verba euangelica efficaciam
habent: namq; verba vitæ sunt. Itaq; peti-
tur auxilium diuinæ gratiæ, ut altius insideant pe-
ctori, hæreantq; tenacius fructum suum factura.

Post hec dicitur Symbolum.

**Credo in vnum deum, patrem omni-
potentem, factorem celi & terræ.**

Sylvester Papa tricesimus tertius post Petrum,
& Constantinus imperator tricesimus septimus
post Iulium Cæsarem, circa annos Domini. 320.
congregauerunt concilium Nicenum in Nicaea
ciuitate Bithyniæ contra Arrium, & tunc edis-
tum fuit Symbolum, in quo resoluitur tota fides
distincta per quosdam articulos pertinentes ad

De con-
sec.d.i.
Aposto-
lica.

DE SEC. PAR. MISSÆ.

vnitatem diuinitatis, & personarum distinctio-
nem contra Arrium. Item & quosdam ad opus
creationis & redemptionis, ac glorificationis re-
spicientes. Sed non erat tam explicatum illud
symbolum Nicenum, quod omnia contineret
explicite credenda. Vnde postea celebratum fuit
concilium Constantinopolitanum, quod fuit se-
cunda synodus sacrosancta temporibus Gratia-
ni, & Theodosij imperatorum à Damaso Papa
congregata contra Macedonium negantem spi-
ritum sanctum esse Deum, ut ait Gratianus in de-
creto; & ibi editum fuit symbolum multum simi-
le huic, quod nunc cantamus. Sed postea Dama-
sus concilium conuocans Romæ edidit symbo-
lum, quod nunc cantamus. Ad quod concilium
Græci conuocati nō interfuerunt, allegantes suas
excusationes, sicut habetur lib. 9. Calsiodori de
historia tripartita cap. 14. & 16. Iussit autem Da-
masus cantari symbolum illud ibi editum. Sem-
per tamen retinet nomen Nicenæ synodi: quia ab
ea sumpsit originem. Nam Marcus Papa hoc in-
stituit post Sylvestrum, vt quemadmodū in Ni-
cenæ synodo editū fuerat, cantaretur: post quam
ordinationem Damasus instituit cantari, secun-
dui quod explicatum fuit in concilio Constan-
tinopolitano: quum tamen iam ante istos omnes
in vsu esset introductum cantari symbolum ab
apostolis editum, ut ait Dionysius in ecclesia.
hierarchia, & hoc iam à tempore primitiæ ec-
clesiæ.

Diony-
sius. ca.
3. Eccle-
Hierar-

Visibi-

Visibilium omnium, & inuisibili-
lum. Et in vnum dōminum Iesum
Christum, filium dei vnigenitum. Et
ex patre natum ante omnia secula.
Deum de deo, lumē de lumine, deum
verum, de deo vero. Genitum, non
factum consubstantiale patri, per
quem omnia facta sunt. Qui propter
nos homines, & propter nostram fa-
lutem descendit de celis.

Hic sacerdos humiliet se, & flectat genua usq;
ad terram. Et dicendo: Et homo factus est, oscule-
tur crucem factam digito pollice super corpora-
lia, vel altaris limbū. Et quādō dicit, crucifixus,
eleuat se. Aduerte tamen, quōd non est consuetu-
dinis ecclesiæ facere hoc à Pascha resurrectionis
usque ad Pentecosten: quoniam, prout iam su-
pra ex Tertulliano annotauimus, orare geniculis
pœnitentis est, & nondum adepti quæ postulat:
orare autem stando, est gratias agentis pro impe-
trato. Quoniam itaq; Christus resurgens sua nos
resurrectione impleuit bonis, spiritumq; nouita-
tis dedit, vt veteris hominis conditionibus ex-
purgatis, synceritatem vitæ nouæ teneamus, yfus
est sanctæ matris ecclesiæ, ijs diebus quibus hoc
celebramus, orare stando & non geniculis. Sicq;
ad, incarnatus est, non flectuntur genua, sed stans
sacerdos, osculatur jcrucem factam ex pollicibus

DE SEC. PAR. MISSÆ.

digitis vtriusq; manus insertis inter se. Item etiam
in aliquibus ecclesijs ad eleuationem & ostensi-
onem sanctissimi sacramenti non genu flectunt.

Et incarnatus est de spiritu sancto
ex Maria virgine, Et homo factus est.
† Crucifixus etiam pro nobis sub Pon-
tio Pilato, passus & sepultus est. Et res-
urrexit tertia die secundum scriptu-
ras.

Aliqui sacerdotes ad representandum commo-
dius mysteria Missæ (quoniam nihil nasci pro-
fuit, teste Gregorio, nisi redimi profuisset) manū
genibus flexis vsq; ad hunc passum, surrexit, &
tunc erigunt se: & quando dicunt, ascendit ad cœ-
los, leuant manus expansas ad cœlos, & iungunt
eas.

Et ascendit in cœlum, sedet ad de-
xteram patris. Et iterum vēturus est
cum gloria iudicare viuos & mor-
tuos: Cuius regni non erit finis. Et in
spiritum sanctum dominum, & viui-
ficantem. Qui ex patre filioq; proce-
dit. Qui cum patre & filio simul ado-
ratur & cōglorificatur. Qui loquitur
est per prophetas. Et vñā sanctā catho-
licam

līcam & apostolicā ecclesiā. Cōfiteor
vnū baptisma in remissionē peccato-
rū. Et expecto resurrectionē mortuo-
rum. Et vitam venturi seculi. Amen.

Quando fācerdos dicit, carnis resurrectionem,
signat se à capite usq; ad cingulum. Græci tamen
usq; hodie, quando dicunt hoc verbum, carnis,
tangunt frontem suam, quasi dicentes huius car-
nis resurrectionem. Item quādo dicit, vitam ven-
turi seculi, facit crucem in altari, & osculatur eam.
Exprimit hoc expectationem nostram quam ha-
bemus de æterna patria, in qua erimus via ecclē-
sia triumphans, itaq; desideramus ei vñiri. Signa-
tur enim per altare illa triumphans ecclēsia in
Apocalypsi. 6. quum ibi dicitur: Clamabant spi-
ritus de sub altari. Cantatur Credo in omnibus
festiuitatibus Domini nostri Iesu Christi, & per
octauas die iouis sancta, omnibus diebus Domi-
nicis, etiam si fiat officium de aliquo sancto, alias
non habituro Symbolum. In festiuitatibus beate
Mariæ, & per octauas. In festis sanctæ Crucis. In
festis apostolorum, & per octauas. In die sancti
Laurentij, & per octauas ex priuilegio. In festis
quatuor doctorum ecclēsiae, & etiam in festis san-
ctorum, in quorum honorem ecclēsiae, vel altaria
sunt dedicata, & per eorum octauas, etiam si de
tali sancto non esset dicendum Credo. Et insuper
in anniuersario talium dedicationum, & octauis.
Ultimo in omnibus consecrationibus ecclēsias

DE TER. PAR. MISSÆ.

rum, altarium, episcoporum. In ceteris verò Missis votiuis non dicitur Credo.

Incipit tertia pars Missæ.

DE TERTIA PARTE

Missæ, quæ dicitur oblatio.

Cap. IX.

Dominus vobiscum. Respondeat,
Et cum spiritu tuo. Oremus.

Offertorium.

Felix nanc̄ es sacra virgo María,
& omni laude dignissi. &c.



V L I E L M V S M I M A T E N
sis episcopus, autor rationalis diuinorum officiorum dicit quod ignoratur, quis Offertorium instituerit. Dicunt tamen quidā Gregorium instituisse; sed inde patet istos errare, quod cōstat ante Gregorium fuisse in vsu etiam primitiue ecclesiae offerre oblationes variarum rerum in vsus totius multitudinis, præcipue pauperum: Vnde

Aug. 3. etiam mos offerendi esculenta in Missa, durauit de ciui. usq; ad tempora Augustini, prout ipse meminit Dei c. in libro de ciuitate Dei, dicens ibi, etiam epulas 27. Raban^s ad templum deferriri solitas à quibusdam. Rabanus ait Offertorium dici ab offerentium ritu: &

visq;

vscp ad nos perseuerat mos vetustatis illius, quo offertur à quibusdam die sancti Blasij, & sanctæ Agathæ, omne quod ad cibum pertinet & ad potum. Repræsentat Offertorium Magorum oblationes. Vnde & nos cum oblationibus rerum nostrarū animas nostra offerimus, holocausta medullata cum incēso arietūadolētes, iuxta psalmū.

P. 65. c.

Dicto Offertorio, sacerdos duobus digitis ex træ manus remouet pannum deluper patinā in dice, & medio, & benedicit, dicens:

In nomine patris, + & filij, & spiritus sancti.

Accipit patinam duabus manibus, inter indices & medios, & eleuat vscp ad pectus suum, & dicit orationem sequentem: post quam signans aram cum ipsa patina, reponit hostiam de dñe contra crucem in principio aræ, ut sit locus calici.

Sequitur oratio:

Grata sit tibi domine hæc oblatio, quam tibi offerimus pro delictis nostris, & pro ecclesia tua sancta catholica, tam pro viuis, quam pro defunctis. In nomine patris, + & filij, & spiritus sancti, Amen.

Ecclesia Romana non utitur hac oratione, sed alia longiori: multæ tamen ecclesiæ utuntur ista. Primus etiam episcopus Valentinus, post depulso Saracenos, accepit eam de consuetis ora-

DE TER. PAR. MISSÆ.

dinis prædicatorum. Erat enim frater Dominicus inclito regi Iacobo Valentiae expugnatori à confessione.

In nomine patris, & filij, & spiritus sancti.

Benedicit calici, & accipit eum tribus digitis utriusque manus per nodum medium & pedem seu basim, eleuans usque ad pectus.

Offerimus tibi domine calicem salutis perpetuae, deprecantes clementiam tuam, ut ante conspectum diuinæ maiestatis tuæ cum odore suavitatis ascendat, per Christum dominum nostrum. **In nomine patris, & filij, & spiritus sancti, Amen.**

Facit crucem cum calice super aram, & reponit eum in loco suo, inter hostiam & crucem, que est in altari, in medium altaris, & operit eum cum panno dicens:

Veni sanctificator omnipotens, & misericors deus, & benedic, & sanctifica hoc munus tibi preparatum, Amen.

Extendat manus super hostiam & calicem, & dicat orationem sequentem: & faciat crucem communem super calicem, & hostiam, quando dixerit, Benedicat.

**Dextera dei omnipotentis patris
bene**

benedicat hæc dona sua, Amen.

Cum corporalibus operit hostiam, & vertit se ad populum, si est oblaturus, & dicit:

Centuplum accipias, & vitam æternam possideas in regno dei, Amen.

Ex autoritate Dei, Matthæi. 19. promittit sacerdos retributionem in celis, centuplam etiam recompensationem hic in terris, quod pro paruis oblationibus multiplices misericordias à Domino consequetur. Post hæc vadit ad cornu Epistolarum, & lauat manus, dicens:

Lauabo inter innocentes manus meas, & circundabo altare tuum domine, ut audiam vocem laudis tue, & enarrem vniuersa mirabilia tua. Domine dilexi decorem domus tuae, & locum habitationis gloriæ tuae. Gloria patri, & filio, & spiri. &c.

Ex psalmo. 25. **Judica me Domine: insinuant ea, quæ debet sacerdos interius procurare, per immitiam exteriorem figurata: scilicet, innocentiam, puritatem, obedientiam, constantiam in diuinis institutionibus. Quādo redijt ad altaris medium, discooperit hostiam, & facit cum pollice dextro crucem super corporalia, & eleuans manus expansas in celum, humiliat se profundè coram altari, sicquod caput venit ad altaris limbū: & quando erigit se, osculatur crucē factā ibi, dicens:**

DE QVARTA PAR. MISSÆ.

In spiritu humilitatis, & in animo
contrito suscipiamur à te domine, &
sic fiat sacrificium nostrum, vt à te
suscipiatur hodie, & placeat tibi do-
mine deus.

Eph.2. Ex Danielis cap.3. quando pueri tres fuerunt in
fornace positi, representat hæc profunda humiliatio-
nem, qua per incarnationem Deus homo factus
est, dicente Paulo¹, Exinaviuit semetipsum for-
mam serui accipiens, quasi velit dicere, magnam
Dei miserationem, vt voluerit ea, quæ suæ mai-
stati non congruebant agere (vt ita dicam) exina-
niens se. In huius ergo obsequium humiliamus
nos profundè ad altaris limbū, vt aptius note-
mus quo animo accipimus reuerendam illam
pientissimam misericordiam.

Explicit tertia pars Missæ.

DE QVARTA PARTE

Missæ, quæ dicitur Consecratio.

Cap. X.



N QVARTA PARTE MIS-
sæ, quæ consecrationem continet,
incipit Secreta, quæ primum myste-
rium passionis designat, & ante Se-
cretam vertit se sacerdos ad popu-
lum, dicens voce mediocri;

Obse-

Obsecro vos fratres, orate pro me ad dominum, ut meum sacrificium pariterque vestrum acceptabile fiat ei.

Hæc versio, & ad populum alloquutio non est representativa, sicut alia notantes Christi apparationes: sed est deprecativa orationum ac suffragiorum populi ad sanctam consecrationem de proximè celebrandam. Facit autem facerdos circulum completum, sicut & in ultima versione ad populum, qua datur benedictio, eò quia pertinent ambae ad omnes Christi fideles vbi libet dispersos. Instituit hoc Leo primus huius nominis 46. post Petrum, circa annos. 444. videlicet, quod esset circularis hæc ad populum versio. Ceterum usus vertendi se ad populum, & suffragia eius exponendi, iam olim a primitiua ecclesia tuerat, prout habetur ex distinctione i. de consec. cap. hoc quoq;. Vbi Sother apostolorū vicinus, qui fuit circa annum Domini. 174. meminit huius orationis, Orate fratres.

De con
sec. d. i.
c. Hoc
quoq;.

Ad hæc verba est responsio:

Spiritu sanctus superueniat in te (vel in me) & virtus altissimi obumbrat mihi (vel tibi).

Ex Lucæ secundo. Vel aliter,

Suscipiat dominus sacrificium de manibus meis, & misereatur nostri.

Sacra.

Tua

DE PRÆFATIONE.

Tua domine propitiatiōne, & beatæ Mariæ virginis intercessione &c.

Tot Sacrae debent dici & eodem ordine, quot collectæ, siue orationes dictæ fuerunt manibus extensis ante oblationes & voce submissa: sic q̄ si plures quām vnam dicturus est, debet dare pri mæ suam conclusionem, dicendo etiam verba illa, Per omnia secula seculorum, voce submissa: prout habetur in Romano ceremoniali. Et quando dicit, Iesum, humiliat se. Cæteras verò Sacras quotquot dicturus est, sub vnicâ conclusione concludit: videlicet cum Sacra communio, quæ post omnes semper in qualibet Missa dicitur in Valentino archiepiscopatu, & alijs multis, sicut sequitur,

Descendat, quæsumus domine, spiritus sanctus tuus super hoc altare tuū, qui hæc munera tuæ maiestati oblatæ bene & dicendo benedicat, sancti & ficando sanctificet, & sumentium & corda dignanter emundet.

Non habetur hæc in ceremonijs Romanis: sed est communis in Hispania. Petitur per eam bene dictio specierum, quasi applicatio sit ad sanctificationem, & transubstantiationem, & demum petitur acceptatio ad sumentium salutem, & eorum pro quibus sumitur. Inde est, quod manus leuantur, quando dicit, Descendat, quæsumus: & quando

quando demittuntur, sicut sacerdos eas aliquantulum super oblationes, quando dicit, hæc munera: & postea posita sinistra manu ad pedem calicis, producuntur duæ crucis communes super hostiam & calicem, dicens: Benedicendo, & sanctificando. Et post producitur crux super seipsum sacerdotem in verbo, sumentium corda.

Per dominū nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum uiuit & regnat in unitate spiritus sancti deus.

Omnia hæc incipiendo à prima Sacra, usq; ad verba ista præcedentia, dicuntur sub silentio. Representat hoc silentium, Christi secessum in defertum locum, quando à Iudæis se abscondebat ante diem ramorum. Iohann. II. Iam Jesus non in palam ambulat apud Iudæos. Sic etiam adnotat Alexander Hallensis in sua quarta parte summae, loquutus de Missæ officio. 437. mēbro. I. ar. 2.

Alexander
der de
Hallis.

**Per omnia secula seculorū, Amen.
Dominus vobiscum : Et cum spiritu tuo.**

Hic eleuatur vox, & repræsentatur hic Christi aduentus in publicum ē deserto loco, quando Lazarum resuscitauit, Iohann. II. Et introitus ille solennis die ramorum in Ierusalem, quando in occursum eius tota ciuitas exiuit, & ipse benignitate suscepit eam.

DE PRÆFATIōNE.

Sursum corda, Habemus ad do-
minum.

Hæc cordis eleuatio in superna, debet esse in futuram nostrorum actorum retributionem, vbi patria nostra est, ad quam tendimus, quò per Christi crucem introitus factus est. Simul autem & sancti per cruces suas illuc intrarunt. Sed & nos per cruces nostras oportet introire: ideo in verbo, sursum, fit crux super aram cum pollice dextro, quoniam ara patriam nobis repræsentat celestem. Et in verbo, corda, fit crux eodem pollice, digito super pectus sacerdotis ad cor: quia iuxta verba monitionis nihil aliud quam Domum cogitare debet, iuxta sententiam Cypriani Papæ. In ara autem crux fit in parte respiciente dexteram nostram, quæ pars est sinistra altaris: & ibi notatur humanitas assumpta, chorusq; sanctorum omnium.

Gratias agamus domino deo no-
stro: Dignum & iustum est.

Ad modum supplicis manus eleuat in celum, & demittendo eas iungit, & post expansis prosegitur. Iam suprà dictum est olii sacram liturgiam solitam iniri ab hac gratiarū actione. Vnde & nomen eucharistiae sibi vendicauit Missa, quum non alibi, nec aliter digne rependantur Dominu gratiarū actiones, quam hic, & hoc sacro.

Verè dignum & iustum est, equum
&

De con-
sec. d. i.
Quādo

& salutare, nos tibi semper, & vbique gratias agere Domine sancte pater omnipotens æternæ deus, per Christum dominum nostrum.

Iam suprà dictum est, quod post hæc verba immediatè sequebatur: Qui pridie quam patetur &c. Sed quia Sixtus Papa statuit cantari Sanctus, Sanctus, Sanctus, ante consecrationem, oportuit aliqua verba addere, quæ viam pararent ad canticum illud: & etiā connecterent cum sequentibus. Itaque quum essent aliquæ præfationes in vsu, Gelasius Papa. 50. post beatum Petrum, anno. 494. ordinavit nouem canonicas recitandas, ut habetur de Conse. d.i. Inuenimus. Prima est in albis paschalibus, Te quidem omni tempore. Secunda est Ascensionis, Qui post resurrectionem. Tertia Pentecostes, Qui ascendens super omnes celos. Quarta Nativitatis, & corporis Christi, Quia per incarnati verbi. Quinta de Epiphania, Quia vnigenitus tuus. Sexta de apostolis, Te suppliciter exorare. Septima de Trinitate, Quia cum vnigenito filio tuo. Octaua de cruce, Qui salutem humani generis. Nona de ieiunio in quadragesimæ, Qui corporali ieiunio. Postea Symmachus Papa natione Sardus. 52. post Petrum, anno. 501. composuit præfationem eam, quam communem vocamus, & quotidiam. Demum recepta est præfatio beatæ Mariæ in concilio habitu Placentiæ ab Urbano Papa

De cō.
d.i.In-
uenim⁹

DE PRÆFATIōNE.

¶. Di- secūdo huius nominis, qui fuit. 165. post Petrum
fin. Sā- anno. 1089. & habetur lxx. distinctione sanctorū
forūm canonum. Hæc dicitur fuisse edita a quodā Car-
thusiano eo tempore, quo fertur beatā Mariam
apparuit monachis illis de Carthusia, & reue-
lasse, quod acceptum esset sibi quām maximē ser-
uitium horas suas quotidie legere, quæ dicuntur
minoritatis. Tunc enim Urbanus hic, qui dicitur
fuisse monachus Cluniacensis ante electionem,
instituit quod diebus sabbathinis fieret officium
beatæ Mariæ solenniter, & diceretur etiam per
horas diei. Ambrosius autem multas præfatio-
nes ediderat de diuersis sanctis, quarum adhuc
aliqui fratres multas retinent, quæ non sunt de
numero istarum undecim: sicut & fratres Fran-
ciscani multas etiam habent alias.

Per quem maiestatem tuam lau-
dant angeli, adorant dominationes,
tremūt potestates, celi celorumq; vir-
tutes, ac beata seraphin socia exulta-
tione concelebrant.

Dicitur præfatio, quasi ante actionem admo-
nitio populi: ut compositi stent ad interuenien-
dum tanto mysterio, & aduertant importantias
huius sacrificij, in quo Christus verus Deus rea-
liter Deo offertur pro nobis: qui tanti fuit apud
Deum, vt per suas actiones angeli sint in celis
Deum laudantes, admirati opus incarnationis
& redemptionis humanæ, reverentur Domina-
tiones

tiones pientissimam Dei magnificetiam, pauent potestates celestes maiestatis diuinæ dispositio-
nes: Vnde & celi & celorum virtutes vñanimi-
sensu Deo laudes acclamat.

**Cum quibus & nostras voces, ut
admitti iubeas deprecamur, supplici
confessione dicentes.**

Quando dicit, Cum quibus & nostras voces,
ponit manus ad altare, ut notetur vnio inter nos
& potestates illas celestes in Christo. In verbo,
supplici confessione, eleuat manus expansas. Pe-
tit sacerdos pro omnibus iugi ecclesiæ triphan-
ti ad laudandum Deum.

**Sanctus, Sanctus, Sanctus domi-
nus deus sabaoth, Pleni sunt celi &
terra gloria tua, osanna in excelsis.**

In Esaia ca. 6. habetur Sanctus, Sanctus, San-
ctus Dominus Deus exercituū, plena est oīnis
terra gloria eius. Sed institutio ecclesiæ habet vt
dicat, pleni sunt cæli & terra, &c. vt significantius
contineatur diuina maiestas, quæ cælum & terrā
implet prout Ieremias ait. Idem habetur Apoca-
lypsis. 4. Fitq; expressa distincta q; confessio trini-
tatis personarum, vnitatisq; essentiae, cum plenia-
tudine imperij creaturarum omnium. Sabaoth
Hebraicum, idem est quod exercituum.

Hie. 23.
Apo. 4.

**Benedictus, qui venit in nomine
domini, osanna in excelsis.**

H ij



DE CANONE.

Pſ. n^o 7.
Mach,
12.

Ex pſal. 117. Confitemini: & ex Macha, 21. sunt laudes quas pueri populusq; Hebræus acclamauit Christo Domino intranti Ierusalem die ratiōrum. Ponitur his, osanna. i. salua nos, ut noteatur expedita salus & ab Hebræis, & à gentibus. Pertinent laudes hæ ad humanitatem, in qua redemit nos: & ideo quando sacerdos dicit, Benedic⁹ qui venit, signat se toto corpore manu dextra, ut significetur efficacia Christi passionis, quæ omnes nos redemit. Post hæc facit crucem super altare, quam osculaturus est quādo dicet, Te igitur, & antequam dicat Dei igitur, adorat & osculatur figuram Missalis, dicens:

Adoramus te Christe, & benedici mus tibi: quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum.

Habetur hoc ex antiqua ecclesiæ consuetudine, qua omnes Christiani ante Missam adorabant crucem, sicut hodie fit in die veneris hebdomadæ sanctæ.

DE CANONE,

Cap. XI.

IN C I P I T C A N O N Q V I sub silētio debet dici. Nil enim eque rebus arduis conuenit ac silentium. Inenarrabilibus igitur mysterijs sacrosanctisq; rebus silentium in Missa dandum est. Vnde & velum templi silentium indica-

indicabat. & velum altaris hodie, quo sacerdos
 occluditur, ne à populo conspiciatur, hoc notat.
 Fertur autem quòd antiquitus Canon dicebatur
 voce publica, ita quòd ex frequenti auditu laici
 memoriter verba Canonis tenebant: vnde factū
 est, quòd pastores quidam in pascuis ioco protu-
 lerunt verba Canonis super panem positum in
 pera, & subito versus fuit miraculose in carnem,
 & fulmen vissit eos. Propterea Vigilius Papa.^{60.}
 post Petrum, anno Domini. ^{541.} statuit dici sub
 silentio Canonem sanctum. Ego tamen hoc ad
 apostolicas traditiones refero: de quibus Augus-
 tinus libro de dictis Basilijs ait: Ecclesiasticarum
 institutionum quasdam in scriptis, quasdam ve-
 ro apostolica traditione per successores accep-
 imus in ministerio confirmatas, quasdam vero
 cōsuetudine roboratas approbavit vesus, quibus
 par ritus, & idem utrisque pietatis debetur affea-
 tur. Subdit: Quæ enim (ut inde exordiantur)
 scriptura, salutiferæ crucis signaculo fideles do-
 cuit insigniri, vel quæ trifariam digesta super pa-
 nem, & calicem prolixæ orationis vel consecra-
 tionis verba cōmendauit? Nam non modò quod
 in Euangeliō continetur, vel ab Apostolo quod
 est insertū secretis dicimus, sed & alia plura adjici-
 mus, magnam quasi vim commendantia myste-
 rioris. Ecce hic Augustinus nominat secreta verba
 illa, quæ in Canone dicuntur, videlicet, hostiam
 puram, hostiam sanctā, hostiam immaculatam. ^{xii. d. Ec-}
 Sic glossator intelligit. ^{xii. d. Ecclesiasticarum.} Fuit ^{clesiastī} carum,

DE CANONE.

autem Augustinus ante Vigilium prædictū plus
150. annis. Ecce quām antiquatus usus est dicen-
di Canōnem sub secreto silentio. Hæretici tamen
Lutherani nostris diebus, proh dolor, non veren-
tur verba consecrationis notata sub cantu & for-
ma modulationis descripta, stanneis typis circum-
ferre, & in triujs vociferantes decantare: adape-
riat Dominus oculos eorum, ut resipiscant, &
conuertantur, ne pereant in via sua mala. Notat
hoc silentium secundum Christi silentium in pa-
sione, quando nec interrogatus à Pilato vel He-
rode respondit, nec prædicauit solenniter, nec ad
consuetum modum miracula fecit. Repræsentat
igitur primum silentium in prima Secreta, Chri-
sti absconsionem per deserta, & loca semota. Post
hæc præfatio repræsentat repetitam prædicatio-
nem publicitus factam. Dein in hoc secundo si-
lentio, notatur silentium secundum in passione.

Cum Te igitur clēmentissime pater, per
Iesum Christum filium tuum domi-
num nostrum supplices rogamus ac-
petimus.

Resoluendo prædictas supplicationes ac roga-
tiones, incipit oblatio fieri. Et quando dicitur,
Te igitur, eleuat manus & oculos ad cœlum, & si-
ne mora demittit & humiliat se profunde, descen-
detite capite usq; ad limbum altaris, & dictis se-
cretè his verbis, erigit se, & osculatur altare in lo-
co ubi fecerat prius crucem. Repræsentat hæc se-
cunda

cunda profunda humiliatio, eam humilationem secundam, qua Dominus noster Iesus Christus humiliavit semetipsum usque ad vilissimum mortis genus, videlicet crucis: quæ erat cæteris mortis generibus prohrorior. Insuper & in ea viliori modo mortuus, quasi seruus fugitiuus: quoniam & lignum humeris suis portauit ad supplicium suum. Solebat fieri apud antiquos Gentiles, quando serui reducebantur fugitiui, maxime si iniurassissent contra Dominos suos, ut affigeretur suspenderentur ve in temone currus, in quo seruire soliti essent. namque ut plurimum apud Romanos serui hac famulabantur seruitute, ut currus vectura redderent prouentus dominis suis. Portabat autem temone in suspendorum humeris suis, unde & surciser dicebatur, ut monstraretur seruitus eius qui etiam in hoc seruiebat, & in eo patetur in quo seruiebat. Sic quasi Dominus noster subterfugisset legis dominium, prout accusabatur legis violator, ad legis reducebatur obsenuum per legale patibulum, & eius monstrabatur subiectio, qui Iudeus natus erat. Completumque fuit vaticinium Esaïæ. 22. Dabo clauem Domus David super humerum eius, & aperiet, & non erit qui claudar. Esa. 22.

Vti accepta habeas, & benedicas
hæc † dona, hæc † munera, hæc san †
cta sacrificia illibata.

Peritum a Deo, ut acceptet oblationem facient.

DE PRÆFATIōNE.

dam, per præsentes species ad fructum eorum,
pro quibus offertur, & ad eorum utilitatem pro
uenire concedat.

Producuntur tres crucis ad significandum,
quod à tribus differentibus personis fuit Christi
passio conclusa, & multum differenter: videlicet
ab eterno patre, tota sanctissima Trinitate, quæ
nobis concessit passionem hanc de sola gratia
sua, præ amore quem æternaliter habuit ad nos.
Vnde dicitur, Hæc dona. Secundò à Christi Iesu
anima benedictissima, humanitateq; quæ seipsum
sponte obtulit in munus Deo offerendum pro
humani generis reconciliatione, obediens patri
vscq; ad mortem, & ideo dicitur, munera. Tertio
ab hominibus iniquis: Iuda prodente ex auaria
Phariseis surdentibus & procurantibus ex
inuidia liuida, episcopis determinantibus cum
toto concilio ex superlativa malitia: vnde dici-
tur, Sancta sacrificia illibata. Nequissime autem
per Pilatum adiudicata executioni, inuertente
ius pusillanimitate execranda. Aduerte generale
documentum, vbi cuncti interuenient crux & figu-
ratur, ibi notatur passio Christi facta in cruce.
Intellige verbum hoc, illibata, quoniam sacri-
ficia veteris legis dicebantur libata, quia fiebant
cum libaminibus sanctificata. Erant autem quinque
libamina: videlicet farina, quæ simila dicebatur,
vinum, oleum, sal, & thus. Ista quinque fundeban-
tur super carnes sacrificiorum agni vel vituli, &
expleta horum infusione dicebatur sacrificium
esse

Docu-
mētum
genera-
le.

esse completum, & consecratum holocaustum: quoniam hæc quinque erant figuræ earum proprietatum, quæ tempore suo dehebant inueniri in Misla, per quas genus humanum erat redimendum, & illustrandum. Notabat simila substantias, differentiam animæ & corporis Christi Iesu: vinum, charitatem: oleum, misericordiæ: sal, discretionem ac sapientiam: thus, humilitatem ac obedientiam. Quorum significationibus sanctificabantur libata sacrificia. Nostra autem sacrificia impræsestiarum illibata sunt: quoniam videlicet nihilo alio à seipso sanctificatur hoc sacrificium Domini nostri Iesu Christi veri agni, qui abstulit peccata mundi, in quo diuinitas est, quicque veram habet animam verumque corpus, in quo charitas impensabilis, inexhauribilis misericordia, sapientia incomprehensibilis, & sine comparatione humilitas. Cruces debent produci communes super panem & vinum.

In primis quæ tibi offerimus pro ecclesia tua sancta catholica, quam pacificare, custodire, adunare, & regere digneris, toto orbe terrarum.

Canonis autor siue fuerit Scholasticus vt Greg. in leg. 12. ait, siue is non autor, sed compilator fuerit, & anno siro. te eum aliis vel alijs autores diuersarum clautularum Canonis, particulares fuerint, quicunque huius particulæ autor fuerit, mutuatus est eam ab Apostolo. i. Thes. 2. vt Aug. dicit, & Haymo. & Thes. 12.

DE CANONE.

notat hoc à Glos ordinaria super eo passu Apo-
stoli, Ecclesia potest vniuersalissimè capi pro to-
ta fidelium congregacione, vbi cunctæ sint in orbe
terrarum. Sic Papa filius est ecclesiæ i.e. ecclesia
est, cuius caput Christus est: & Papa recipit sa-
cramenta ab ecclesia, ab ea persona quæ sibi con-
stituit ipse met in locum Christi. Alio modo po-
test sumi ecclesia vniuersaliter pro congregatio-
ne fidelium sub capite suo Christi vicario, vide-
licet Papa, qui ex electione, & consensu suo ha-
bet, quod Petri successor sit. Si autem loquamur
de repræsentatione, vere dominus Papa tota ec-
clesia est, id est repræsentat totam ecclesiam secun-
do modo sumptam, & quilibet episcopus suam
particularem ecclesiam. Omnes autem episcopi
& pastores ecclesiastici cum Papa repræsentant
ecclesiam primo modo sumptam. Sacerdos igit-
tur orat primò pro ecclesia primo modo sum-
pta, rogaturus denuò pro secundo modo sum-
pta. Ait Apostolus, Obsecro primò omnium fie-
ri obsecrationes, orationes, postulationes, gratia-
rum actiones pro omnibus hominibus, pro regi-
bus, & pro omnibus qui insublimitate sunt con-
stituti: ut quietam & tranquillam vitam aga-
mus, in omni pietate & castitate. Hoc enim ho-
num est & acceptum coram saluatore nostro. Su-
per hunc locum ait Haymo. Apostolus hæc ver-
ba Timotheo dirigens, in illis verbis omni eccle-
siæ formam tradidit quomodo debeat Missarum
solennia celebrare, & in isto officio pro omni-
bus

bus supplicare. Conuenit cum Haymone Augu-
vt diximus, Beda, Lyranus, & pleriq; alij. Tertul.
etiam in Apologetico: Chrisosto. item ait seruari
in ecclesia Græca. Obseruandus est ordo præsen-
tis orationis, primò enim pro pace oratur eccle-
siae, vt ab infestatione liberetur hæreticorum, ty-
rannorum, & omnium iniquorum. Deinde de-
precatur serenitas ab impostura, præstigijs, omni-
genisq; nequitij; prauorum: vt dignetur Domi-
nus rabie scelerum hominum turbatam eccle-
siam rursus adunare, & regere custoditam. Orare
autem pro Papa, episcopo, & rege, est orare: vt
sermo Dei curiat. Tunc enim verbum Dei legi-
time administratur, quum pastores & rectores
ecclesiæ rite peragunt suorum officiorum curam.
Vnā cū famulo tuo Papa nostro. N.

Clemens primus, qui fuit secundus post Petru, anno Domini 92. ordinavit fieri in ecclesia publi-
cas rogationes pro residentibus pontificibus, vt
digne ministerium suum impleant. Vnde postea
etiam sanctum est in Canone ita apponi partis
culam (vt dicitur) à Pelagio. 61. post Petrum, an-
no 558.

**Et antistite nostro. N. & rege no-
stro. N. Et omnibus orthodoxis atq;
catholicæ & apostolicæ fidei culto-
ribus.**

Episcopus dimissis verbis istis, & antistite no-
stro, dicit, & me indigno famulo tuo. Sicut & Pa-

Chrys.
Tomo
4. hos
mi. 691

DE MEMENTO.

pa, loco verborum istorum, & Papa nostro, & antistite nostro, &c. dicit, vna cum me famulo tuo indigno, quem gregi tuo præesse voluisti. A cæteris verò exprimuntur mētaliter nomina Domini papæ, episcopi, & regis. Non tamen oportet quod vocaliter pronuntiet: sed sufficit quod sciat eorum nomina, & mentaliter dicat.

DE MEMENTO,

Cap. XII.



LTRA GENERALEM COM
mendationem ecclesiæ primò factā
Deo, hic fit specialiter eorum com
mendatio, pro quibus sacerdos cele
brat vel celebrare tenetur. Et iun
guntur manus eleuatae usque ad pectus vel bar
bam.

Memento Domine famulorum fa
mularumq[ue] tuarum.

Debet autem esse breuis hæc recommendatio,
ne sit astantibus tediosa ex mora sua. Et poterit
fic fieri. Si sacerdos ante Missam fecerit specialem
recollementum eorum quos in Missa vult Deo
recommendare, tam viuorum, quam mortuorum:
& quando fuerit in hoc paſtu in Missa, referat se
ad priorem recollectiōhem. Poterit autem sacer
dos faciliter se expedire in hoc negotio, si per ca
sus grammaticos processerit: videlicet in nomina
tuo recordatus sui ipsius, orans specialiter Deū,

vt

ut dignum sancto altari faciat eum ministrum,
manu sua tenens ipsum. In genituio, parentes &
cognatos ac affines corporales recomendet Deo.
In datus, benefactores omnes, signanter eum pro
quo celebrat, siue ex institutione beneficij, & ad-
huc vivit, siue pro eleemosyna sibi facta. In accu-
satio ponendi sunt inimicitias exercentes, hic
qui damna intulere scienter: ut auocet eos Deus
a via sua mala, & resipiscant. In vocatio, omnes
eos quos ecclesia vocat ad fidei cognitionem, vel
recognitionem: prout sunt pagani, Iudei, apostata,
haeretici, excommunicati, & similes, ut illumina-
nentur veniantque ad Dei cognitionem, eneruatis
eorum superbijs. In ablatuio ponendi sunt qui ab
hac luce migrarunt, a nobisque ablati sunt. Hi au-
tem seruantur ad secundam commendationem,
qua pro defunctis fiet. In fine autem, iuxta docu-
mentum Scoti, referat se sacerdos ad ordinationem
diuinam, dicens: Offero Domine pro omnibus
illis, pro quibus scis & vis me teneri, eo modo &
ordine, quo tu scis & vis.

Et omnium circumstantium, quo-
rum tibi fides cognita est, & nota de-
uetio, pro quibus tibi offerimus, vel
qui tibi offerunt hoc sacrificium lau-
dis.

Expandit manus dicens, & omniū circumstan-
tiū, & demissis super oblationes protequitur
ut prius. Et aduerte quod fides hic capitur pro

DE MEMENTO.

confidentia: nam duo sunt quæ applicant hoc sacrificium ad prosectorum animæ: videlicet confidencia, per quam impetratur petitio: & deuotio, per quam meritum augetur. Vocatur sacrificium laudis ad differentiam sacrificiorum legis veteris, quæ sacrificia erant desiderij, videlicet figuranta Messiam venturum & redemptorum genus humanum per passionem suam. Hoc autem nostrum sacrificium est ipsemet Messias. Insuper & hæc est memoria iam exhibitæ passionis in medium nostrum: vnde lætamur, & laudamus beneficentiam Domini.

Pro se suisq; omnibus, pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis & incolumentatis suæ, tibiq; redundunt vota sua æterno Deo viuo & vero.

Tria sunt bonaquæ nos docuit Dominus petere: videlicet æterna, spiritualia, temporalia. Matth. 6. Orantes dicite, Pater noster, petuntur æterna ibi, Adueniat regnum tuum, Spiritualia ibi, Fiat voluntas tua: Temporalia ibi, Panem nostrum &c.

Sic & hic petuntur æterna, ibi: pro spe salutis:

Petuntur spiritualia ibi, pro remissione
animarum suarum: Petuntur tem-
poralia ibi, incolumentatis suæ.

DE

DE COMMUNICATIONE

infraactio, Cap. XIII.



IRICO PAPÆ 39. POST PE-
trum anno. 388. astruitur hæc sequēs
infraactio Cōmunicantes. Sed quid
quod Dionysius in lib. de ecclesiasti-
ca hierarchia, docet fuisse moris ec-
clesiæ primitiæ Græcanicæ, sanctorū cōmorare
nomina? Item & quòd in ecclesia Latina idem
mos fuerit à principio, inde potest haberi, quòd
celebrante apud Arelatū beato Regulo discipu-
lo sancti Johannis euangelistæ, eo die quo sancti
Dionysius prædictus, Rusticus, & Heuterius pas-
si sunt Parisijs inter cōmemorandū sanctos iam
mortuos, hos tres cōmemorauit, quos putabat
esse viuos, quīq; per imprudentiā factū existima-
ret, ecce apparuerūt colubæ tres super crucē alta-
ris in quo celebrabat, habētes nomina prædictorū
sanctorū sanguine inscripta. Hæc in legēda beati
Dionysij. Fortassis numerū duodenariū præscri-
psit Siricus, quū multò plures sancti soliti essent
recitari, & ad hunc numerum restrinxit propter
mysterium apostolorum duodecim, item & apo-
stolicorū sanctorū quemadmodū & in lege sacer-
dos portabat nomina duodecim patrū: & dixit
Dñs, Portabit Aaron nomina filiorū Israel in ra-
tionali iudicij super peccatus suū, qñ ingrediet san-
ctuarium memoriale corā Domino in perpetuū.
Hec ibi. Nota autē dictū memoriale corā Domi-
no. Gros. ordi. refert hæc ad hanc partem Missæ.

Diony-
s. c. de
Ecclie.
Hierar.

Legens
da san-
cti Dio-
nysij.

Exe. 28.

Communicantes & memoriā ve-
nerantes, in primis gloriosæ semper
virginis Mariæ genitricis Dei, & do-
mini nostri Iesu Christi.

Implorantur in auxilium nostrum beata Ma-
ria, & aliquot sanctorum apostolorum ac mar-
tyrum, qui vel aliquid circa mysterium hoc ege-
runt prædicando, ut apostoli: aut venerando, ut
martyres ad martyrium sese offerendo in eius ob-
sequium: ut quoniam seipsum Christus prius de-
derat in dispendiū humanæ vitæ pro nobis omni-
bus, non dubitarēt ipsi pro Dei obsequio seipso
offerre in tanti beneficij quasi recompensam, vel
certè ipsam etiam oblationem obtulere, ut bea-
ta virgo, quæ ad templum obtulit dum adhuc
mortali vita viueret. Cæterum de confessoribus,
quos nos vocamus, nondum tunc fiebat festum
a sancta matre ecclesia.

Sed & beatorum apostolorum, &
martyrum tuorū Petri, & Pauli, An-
dreæ, Iacobi, Iohannis, Thomæ, Iaco-
bi, Philippi, Bartholomæi, Matthæi,
Simonis, & Thadæi, Lini, Cleti, Cle-
mëtis, Sixti, Cornelij, Cypriani, Lau-
rentij Chrysogoni, Iohannis, & Pau-
li, Cosmæ & Damiani.

Dicitur, eos sanctos qui copulantur per, &, vno
&

& eadem die obiisse. Et hoc notari per illam copulam, &c. Notantur duodecim apostoli, quoniam hi fuerunt principales gentium instructores, & doctores huius sancti sacrificij. Conuenit numerus duodenarius, qui excrescentia est, cum significatione prosperi eventus in prædicatione sua, qua multiplicari debebat fidelium numerus. Apponitur autem Paulus unus extra duodecim loco Matthiae, & coapostolus eius Barnabas relinquitur cum Matthia ad secundam commutationem. Vnde loco Iude successit Matthias sorte electus ab undecim apostolis, dante Domino signum desuper ad Matthiam, quod est sorte electum esse. Præter autem hos duodecim, quibus assignatae fuerunt certæ prouinciae ad prædicandum, fuerunt alij duo apostoli, Paulus, & Barnabas: qui libertate spiritus prædicarunt discurrentes prouincias aliorum. Apponuntur etiam duodecim martyres: ut numero præcipientium respondeat numerus exequentium. Primi quinque fuerunt summi pontifices, Linus, Cletus, Clemens, Sixtus, Cornelius, in quibus primus gradus ecclesiæ numeratur, qui Christo in omnibus confortari debet: quod in quinario numero designatur. Siquidem quinarius Christi humanitati convenit: propter quod & sancta mater ecclesia plaga innumeris veneratur Domini sub numero quinque plagarum, quarum Dominus seruauit cicatrices in resurrectione, & discipulis suis ostentauit: ut patet ex euangelijs. Sextus martyr fuit ep-

DE COMMUNIC.

scopus Africanus illustrator ecclesiæ tempore suo,
in quo secundus gradus ecclesiæ notatur, videlicet, pontificatus minoris in uno Cypriano intitulatus: ut sciant, quoniam episcopus unice oves suas curare debet, non distractus secularibus causis. Septimus Leuita fuit orbe toto celebratissimus Laurentius: cui etiam propter passionis acerbitatem, & constantiam, indefessam octauæ confessæ sunt soli inter martyres solos noui testamenti. Quamuis enim Baptista Iohannes habeat octauas, tamen non computatur inter sanctos noui testamenti. Vnde nec cantatur, Credo, in eius festivitate. Reliqui etiam quibus octauæ assignantur, non sunt martyres solum: sed cum martyrio habuerunt apostolatum. In hoc minor gradus ecclesiæ denotatur, quia diaconus fuit. Octauus Chrysogonus fuit praeses, & consul Romanus, famosus in constantia passionis acerbissimæ: in quo supremus gradus secularis prefecturæ notatur. Nonus & decimus Iohannes & Paulus, minorem statum secularis prefecturæ comprehendunt, ambo præpositi domus Constantia principis filiaæ Constantini primi imperatoris: passi sub Iuliano, quorum conuersatio famosa fuit Romæ omnibus Christianis, quorum etiam opera conuersus fuit ad fidem Gallicanus dux Romani exercitus, de genere consulum ac patritiorum, toto terrarum orbe opinatissimus sanctus Dei. Undecimus, & duodecimus Cosmas & Damianus, atque medici, noti plus quam oporteat eos inuulgare,

gare, ciuilem statum repræsentantes.

Et omnium sanctorum tuorum,
quorum meritis precibusq; conce-
das, vt in omnibus protectionis tuæ
muniamur auxilio, Per eundem Christum Dominum nostrum.

Ad suprà notata æterna, spiritualia, & tempo-
ralia quæ petimus, suffragia omnium sanctorum
imploramus. Minister accendit lumen ad eleua-
tiones sacramenti, vt flamma fidei, charitatis, &
desiderij notetur ecclesiæ.

Hanc igitur oblationem seruitutis
nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ,
quæsumus Domine, vt placatus acci-
pias.

Ex ordinatione Leonis, ante compilatum Cas-
nonem, venit in vsu hæc particula. Fuit autem
Leo primus. 46. post Petrum anno. 44. Quando
sacerdos dicit hoc, extendit manus super sacrifici-
cium, expansas quidem, & petit his exauditionem
ex parte sua, ne iudicium sibi manducet, & bis-
bat. Nam iuxta Gregorium: quum is qui displace-
ret, ad intercedendum mittitur, offensi animus ad
deteriora prouocatur. Hoc quidem verum est,
quantum attinet ad sacerdotis profectū, qui cele-
brat. Nam prout est minister ecclesiæ, semper
exaudit Dominus Missæ preces. Deponuntur
post aliquantulum manus ad oblationes.

DE COMMUNIC.

Diesq; nostros in tua pace dispo-
nas, atq; ab æterna damnatione nos
eripi, & in electorum tuorum iubeas
grege numerari, per Christum Do-
minum nostrum, Amen.

Gregorius primus quādo Missale reformauit,
apposuit hanc particulam, Pax Domini, ad vi-
tam ædificat, quum pax mundi ad perditionem
impellat,

Quam oblationē tu Deus in omni-
bus quæsumus benefictam, ascrip-
tam, ratam,

Chrys.
li.de di-
gnitate
sacer.c.
¶ Ante conditum Canonem variè orabatur an-
te consecrationem. Chrys.lib.6.de dignit.sacerdo-
tali, ca.4.meminit de verbis Iacobi, quæ fuerunt
hæc: Rogamus ut spiritus sanctus adueniens, san-
cta bona atq; gloria eius præsentia sanctificet,
& faciat hunc quidē panem corpus sancti Chri-
sti tui, & calicem hunc pretiosum sanguinem
Christi tui, Clemens tamē verbis istis, Rogamus
ut mittas spiritum tuum super hoc sacrificium,
qui efficiat hunc panem corpus Chrysii tui: &
quod in hoc calice est, sanguinem Christi tui. Sed
Gelasius in hac, qua utimur forma, mutauit ver-
ba istorum sanctorum,

In expositione verò diuersè doctores sentiunt:
Ambro-
gus. nam Ambrosius libr.4.de sacramentis, exponit
de sacrificio laudis, & corpore Christi mystico:
Augua

Augustinus verò de hostia laudis:& ponit de
consec.d.ij. Verum sub. Innocentius autē tertius,
de corpore Christi, videlicet, ut intelligat bene-
dictam, id est immunem à peccato: Ascriptam,
scripturis prēnuntiatam: Ratam, non transito-
riam, sicut erant hostiæ legis: Rationabilem, non
pecoralern sicut veteres, quæ non mundabant à
peccato: Acceptabilem super hostias p̄ficas. de
quibus Iere. ait: Obtulisti hostias non acceptas. Ier.6.
Sed non est abbreviata manus Domini, ut ultra
has tñn speremus profundiores diuitias sensus
abscōditi: ad quem clamant antecedentia & con-
sequēntia verba cum suis repræsentationibus.
Dicamus igitur & nos quæ Dominus dedit con-
iectare. Tres crucis producuntur hic communes
super panem & vinum, tres differentias persona-
rum nobis inculcant, quæ in mortem Domini
continuerunt: prout Petrus ait in Actis apostolo
rum: videlicet, scribarum, Phariseorum, & pon-
tificum, cum concilio portæ, atrij, & palati dola-
ti, de quibus recens tractauit Galatinus noster
late differens ijs de rebus. In horum omnium ima-
pietatibus mirabiliter cruciabatur animus Do-
mini. Vnde tres crucis id notant, nempe passio-
nes, & cruciatus animi Domini: quod quasi ma-
ledictus à lege, futilis impostor & vanus innoua-
tor condemnatus esset ab eis. Contra quod intel-
lexisse debuissent, in eo benedictiones omnes ab
ipsis speratas, complendas: vnde, Benedicta. Item
conformem omnibus prophetijs de eo sigla p̄g-

Act.4.6.

Galatis
nus.

DE COMMUNIC.

muntiantibus: vnde, Ascriptam. Item & ab initio
sic constitutam, vt in æternū duraret, ex quo incia
peret in mundo: vnde subditur, Ratam.

Post hæc quoniam duo populi in hoc scelus
confederati fuerunt, quos hostia hæc erat redem-
ptura, quasi pro mercede beneficij, incomparabi-
liter angebatur Dominus corde & spiritu. vnde
subditur duplex crux, quando dicitur, nobis cor-
pus & sanguis fiat. Attinet ad Iudæos corpus, de
quorum genere caro sancta descendit. Attinet ad
Gentiles sanguis, à quibus mors Christi est exec-
utioni mandata. Nam & Herodes Iudæorum
rex, & Pilatus Romanorum præses cōuenerunt
in mortem Christi. Sed & hæc pœnæ Domini in
officinis tribus consummatæ sunt, videlicet in
domo pontificum, vbi exprobratus & maledic-
tus. In domo Herodis, vbi illusus, spretus, & vi-
lipensus. In domo Pilati vbi derisus, subsannatus
& male multatus fuit, imposito sibi arundineo
sceptro, spine atque corona.

Rationabilem, acceptabilemq; fa cere digneris.

Quando dicit sacerdos, acceptabilem , exten-
dit manus super utrancq; oblationem. nam quan-
do facit crucis sinistra manu, tenet pedem calicis
propter periculum, & dextera manu facit crucis
communes sicut diximus, super hostiam & cali-
cem. Debet autem sic facere crucis in aere, quod
si figurari possent, recte depingerentur non iacen-
tes.

ees. Debent etiam verbis signa coniungi & ceras monia.

**Vt nobis cor†pus, & sanctus fiat
dilectissimi filij tui Domini nostri Ie-
su Christi.**

Producuntur duae cruces non communes, sed
particulares, altera super panem, altera super cali-
cem. Eleuat autem parum manus iunctas in celo-
rum, quando dicit: Fiat, quasi supplicans transub-
stantiationem.

DE SACROSANTI
mysterij consecratione
pars quarta.

Cap. **X I I I .**



C C E D I T I A M T R E M E N D I
mysterij consecratio, ubi Christi ver-
bis sacerdos conficit sacramenta.
Vnde Ambrosius ait, Vbi venitur
ut conficiatur venerabile sacra-
mentum, iam non suis sermonibus sacerdos, sed ut in-
tut sermonibus Christi. Quis senno Christi est?
Nempe is quo facta sunt omnia: vides igitur
quam operatorius est sermo Christi?

Ambro-
libr. 4.
de sacra
mentis.

**Qui pridie quam pateretur, acce-
pit panem in sanctas ac venerabiles
manus suas, & eleuatis oculis in celo-**

I iiiij

DE CONSECRATIONE.

ad te Deum patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens.

Quādo sacerdos dicit hāc verba, tergit vtriusq; manus digitos pollices, & indices propter reue-
rentiam, & accipit hostiam sine aliqua humilia-
tione, & quando dicit, eleuatis oculis in cēlum,
oculos suos in cēlum leuat. Et quando dicit, tibi
gratias agens, humiliet se paululum corpore tō-
to, ad repræsentandas Domini actiones, pro tem-
pore institutionis huius sacramenti.

Benedixit, fregit, deditq; discipu-
lis suis, dicens: Accipite, & manduca-
te ex hoc omnes.

Ista crux debet fieri singulariter super hostiam.
Repræsentat Christi benedictionem, qua panem
benedixit. Non quōd Christus in benedicendo
panem signum crucis produxerit super eum: non
cum enim erat institutum crucis signum in be-
nedictionem vulgarem: sed quōd manus impo-
suerit Christus super panem, sicut mos erat Iu-
dæis benedicere. Post Christi autem mortem, in
vīuale benedictionis signum instituta est crucis
productio, notans per crucis patibulum benedi-
ctiones omnes nobis prouenisse. Aduerte quan-
do dicitur, fregit deditq; discipulis, non intelligas
Dominum prius fregisse vel dispartisse corpus,
quām cōsecrasse: quia prius cōsecrauit, & postea
distribuit. Sed sancta mater ecclesia prius recor-
datur

datur actiones Christi, ut postea liberius in sacra
mentis ipsis immoretur.

HOC EST ENIM COR=
PVS MEV M.

Debet per omnia verborum istorum forma in=
uiolabiliter obseruari, nec quicquam addi, nec
demi quicquam. Et facit hic sacerdos humiliatio=
nem profundam sanctissimo sacramento, tenen=
do eum quatuor digitis, & ostendens aliqualiter
populo. Hoc repræsentat eam ostensionem, qua
Pilatus educit flagellatū Dominum ad iudicium,
dicens: Ecce homo. Postea eleuatus sacerdos, ele=
uat sacramentum super caput suum, in hoc in=
nuens oportere nos gloriari in cruce Domini no=
stri Iesu Christi: ita ut ignominia dominicae cru=
cis, nostra sit gloria triumphalis. Hæc eleuatio sa=
cramenti repræsentat eleuationem Domini in cru=
ce ad conspectum totius ciuitatis Ierusalem, &
omnium Iudæorum, qui ascenderant ad solenni=
tatem Paschæ ex omni natione, quæ sub cælo est.
Quidam tamen scioli, ita repentinè eleuant cor=
pus & sanguinem Domini, ut vehemens pericu=
lum sit ad aliquod inconueniens, præcipue in ca=
lice, quasi velint ita figurare eleuationem illam
Domini in cruce, que haud dubiè paulatina fuit,
& non subita ex pondere crucis & corporis in=
ea affixi. Eleuetur igitur moderatè, & nullatenus
repentinè corpus & sanguis. Quibusdam ecclesijs
mos est sonare cymbala, & repræsentant præco=
nia creaturarum, petrarum rupturas, motuum ter=

DE CONSECRAT.

træ, solis obscuritatem, lunæ rubedinem, aeris caliginem, & monumentorum apertionein, quæ omnia creatori suo sua, qualia potuere, obsequia præstitere, & quasi lugubres exequias ad funus Domini deplanxerunt. Obtristatus est sol, luna suos festiuos resplendores in sanguineos colores, & tandem in nigredinem mutauit, scissæ sunt petræ, obmurmurarunt venti, ac inter se colisi tremi tu suo monstrabant modo quo poterant, obitum conditoris naturæ.

Simili modo postea quam coenatum est.

Antequam dicat hæc verba sacerdos, demittit hostiam, & locat eam in loco suo, iunctisq; manibus facit ei supplicem humiliationem corpore toto. Sed antequam deponat e manibus, osculatur in sui reuerentiam digitum suum & pollicem dexteræ manus, quasi protestetur dicens: Manus tuæ Domine fecerūt me. Dein manus ad calicem tendit, dicens: Simili modo, &c.

Accipiens & hunc preclarum calicem in sanctas ac venerabiles manus suas, item tibi gratias agens.

Quando sacerdos dicit, in sanctas ac venerabiles manus suas, accipit calicem manu dextra ad nodum infra cupam: & sinistra ad pedem calicis & parum eleuat ab altari, & quando dicit, tibi gratias agens, humiliat caput, ut gestus conformetur verbis, quod semper debet procurari.

Benes

Benedixit, f̄deditq; discipulis suis,
dicens: Accipite, & bibite ex eo oēs.

Quando dicit, benedixit, demittit calicem, &
posita manu sinistra ad eius pedem cum dextera
facit crucem super calicem. Repräsentat, sicut di-
ximus de pane, benedictionem, qua Dominus
benedixit vinum.

H I C E S T E N I M C A L I X
sanguinis mei noui & æterni testa-
mēti mysterium fidei, qui provobis,
& pro multis effundetur in remissio-
nem peccatorum.

Informata fuit sancta mater ecclesia ab aposto-
lis de ritu isto: prout & Paulus spopondit in lite-
ris suis, multa verbo doctruin se, quæ epistolis
non comprehendentur vel literis, dicens: Cæte-
ra, quum venero, disponam. Omnia autem, quæ
habentur hic in sacro sancta consecratione, conti-
nentur in euangelijs euangelistarum Matthæi,
Marci, & Lucæ. Lyranus autem super prædicto
passu Pauli. i. Corin. ii. dicit ideo euangelistas nō
scripsisse sub ea forma, quæ docuerunt apostoli
consecrare: quia magis attenderūt historiæ, quam
in memoriam scribebant, quam ritui, qui iam à
multis annis antē perseverabat, sine contradic̄
tione illa receptus ab ecclesia Dei. Ambrosius etiā
loquutus de mysterio hoc ineffabili quarto libro
de Sacramentis capite quinto, ait: Vis scire, quia
verbis

i. cor. ii.
Nico.
de Ly.

Ambro-
sius.

DE CONSECRAT.

verbis cœlestibus consecratur : Accipe, quæ sunt
verba, Dicit sacerdos: Fac nobis, inquit, hāc ob-
lationem ascriptam, rationabilem, acceptabilem,
quod est figura corporis & sanguinis Domini
nostrī Iesu Christi, qui pridie quām pateretur, in
sanctis manib⁹ suis accepit panem, respexit ad
celum : ad te sancte pater, omnipotens æterne
Deus, gratias agens benedixit, fregit, fractumq;
apostolis suis, & discipulis suis tradidit, dicens:
Accipite, & edite ex hoc omnes : Hoc est enim
corpus meum, quod pro multis confringetur. Si
militer & calicem, postquam coenatum est pri-
die, quām pateretur accepit, respexit in celum, ad
te sancte pater omnipotens æterne Deus, gratias
agens, benedixit: apostolis & discipulis suis tradi-
dit, dicens: Accipite, & bibite ex eo omnes, &c.
Ecce vides sententiam Ambrosij de verbis con-
secratorijs, prosequitur etiam: Ante quām conse-
cretur, panis est: vbi autem verba Christi acces-
serint, corpus est Christi. Idem dicit Augustinus,
in lib. de senten. Prospcri: & ponitur de Consecr.
d. 2. nos autem. Aduertendum autem, quare dica-
tur noui testamenti: videlicet seruatur mentio
testamenti, ad sanguinis consecrationē: quia no-
tat hāc separata consecratio à consecratione cor-
poris, separationem sanguinis à corpore, & con-
sequenter mortem, vnde ratum mansit testamen-
tum à Domino factum, velut more humano ra-
tificatur testamentum quando mors sequitur te-
statoris. Quoniam autem sanguine hoc peccata
delentur,

delentur, quod non siebat olim in sanguine hircorum aut vitulorum asperso (noui) dicitur, & re*ctissimè* testamenti, prout meminit etiam Apo*stolus ad Hebræos. 8. & 10.* Et olim iam propheta*tarat Ieremias. 31. ca.* dicens: Fiet iam foedus nouū, & dabo legem in visceribus, &c. Dicitur autem æterni, prout etiam promiserat Dominus. *Luc. 22. Dispono vobis vt edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo: regnū autem Dei, regnum est omnium seculorum. Sacerdos dictis his verbis humiliat se, & post manu dextera accipiens nodum infra cupam, & sinistra pedem calicis, eleuat super caput, vt à fidelibus adoretur.* Poterit sacerdos in eleuando dicere mentaliter illa verba Augustini: Te ergo quæsumus, famulis tuis subueni, quos pretioso sanguine redemisti. Caveat tamen ea proferre verbaliter: quoniam nec potest addi quicquam vel minui verbulum unum, etiam ab episcopo, quia quæ ab ecclesia decreta sunt, à minoribus mutari non possunt.

Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis.

Quando sacerdos dimittit calicem, & eum in loco suo firimat, dicit verba hæc, prout Christus illa dixit, in instituto iam sacramento. Et postquam calicem loco suo reposuerit, humiliat i.e. modelle corpore toto. significatio autem verborum istorum talis est, acili dicatur: Hic est sanguis meus, per modum salutiferi, quamvis amari poculi vo-

Apost.
ad He-
8. & 10.
Iere. 31.

QVINTA PARS MISSÆ.

bis administratus, quoniam fatus est in remissio
nem peccatorum, & medelam morborum mul-
tiplicium in animabus existentium vestris. Apa-
ponitur in utræque consecratione hæc particula
enim, ut notetur ordo consecrationis sacramen-
talis ad usum sacramenti: quod patet ex verbis:
Accipite & manducate, hoc est enim, &c. quasi
dicat, quia talis est consecratio, ut imini consecra-
to, fruiminique. Ita Thomas & Richardus in 4.
senten. dicunt. Scotus autem propter connexio-
nem dicit apponi, enim, ut notetur totius Cano-
nis connexionio. Ab eo quippe loco, communican-
tes, usque ad eum locum post consecrationem, Sup-
plices te rogamus, non est oratio quæ non conne-
ctatur precedenti per aliquam connexionem, sicut
hanc ergo oblationem, quam oblationem, qui pri-
die quam pateretur, simili modo, &c. Alij dicunt
quod ideo ponitur, enim, ut notetur nedum hæc
verba esse demonstrativa corporis & sanguinis:
sed etiam effectiva transubstantiationis.

INCIPIT QVINTA PARS. MIS.



BQVITVR QVINTA PARS
Missa, quæ dicitur Communion, ubi
propria est actio Missæ, & mittitur
oblatio, unde etiam nomen accipit
Missa: quia modo realiter mittitur,
& dirigitur hoc sacrificium Deo in consequacio-
nem alicuius intenti. Et vide, quod licet in hac
parte sint duæ actiones, scilicet oblatio, & obla-
tionis

tionis communio: tamen à nobiliori fit denominatio: scilicet à communione, & sic totum hoc dicitur Communio, & non sunt distinctæ actio-nes prout hic: quia oblatio ordinatur ad commu-nionem, ideo aduerte.

Vnde & memores Domine nos tui serui, sed & plebs tua sancta eiusdem Christi filij tui Domini Dei nostri tam beatæ passionis.

Quoniam autem Christus Dominus dixit, Hęc quotiescumq; feceritis, in mei memoriam facietis: dicit sacerdos, quod propterea in eius memoriā offert hostiam salutarem: & specificat quam me-moriam signanter habeat: videlicet passionis, ab inferis resurrectionis, & in celum ascensionis: vnde liquidò comprobatur, quod in præambulo dictum fuit, videlicet non esse memoriā in Missa omnium particulariter Christi actionum, sed alia quarum, quæ ad vitæ decessum Domini accide-runt, & eius post resurrectionem. Quando sacer-dos dicit, passionis, extendit brachia in modum crucis, ut denotet Christi crucifixionem in isto mundo. Quando dicit, ab inferis re-urrectionis, demittit brachia, & trāsferens per bassum eleuat in altum, quasi signans in celum, quando dicit, in celos gloriosæ ascensionis, ut per gestus corporis repræsententur ea, quæ verbis dicuntur.

Necnon & ab inferis resurrectio-nis, sed & in celos gloriosæ ascensio-

QVINTA PARS MISSÆ.

nis, offerimus præclarę maiestati tuę,
de tuis donis ac datis, hostiā puram,
hostiam sanctam, hostiam immaculatam,
panem sanctum vitæ æternæ,
& calicem salutis perpetuæ.

Primæ tres cruces producuntur communes ad corpus & sanguinem, reliquæ duæ particulares, una super corpus, & una super calicem. Repræsentat quinque plagas, quibus & corpus saucium, & sanguis turbatus fuit, & effluxit. Hæc repræsentatio est ex primæua Canonis ordinatione. Vocatur hostia pura, sine aliqua adulterina commissione: sancta, sine peccato: immaculata, sine labo. Puritas diuinitatem respicit, sanctitas animam, immaculatio corpus Domini: quas tres substantias in Christo Domino congruit intellegi.

Supra quæ propitio ac sereno vultu respicere digneris, & accepta habere, sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui iusti Abel, & sacrificium patriarchæ nostri Abraæ, & quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech.

Quando sacerdos dicit hoc, habet manus expandas supra sacrificium, & petitur in eo accepta ri hoc sacrificium, etiam ex offerentium illud iam ab olim

ab olim diligentiam, obedientiam, prudentiam. Diligentissimus fuit Abel seruans primogenita pecorum, quæ difficulter cognoscuntur, nisi ista tim à nativitate signentur usq; ad tempus suum. Obedientissimus fuit Abrahā, qui etiam in unigenito Isaac filio suo de Sarra, extremę suæ senes etutis prole ac fructu, obediuit voci Domini. Prudentissimè prophetauit de hoc sacrificio Melchisedech offerēs panem & vinum: similitudinam, & prænuntiā huius sanctissimi sacri nostratis oblationem. Dicitur autem Dominus respicere vultu sereno ac placido, quum nos sua misericordia iuuat & gratificat. Abel autē puer vocatus, quamvis centenarius obierit secundum Methodium: quia in maturis diebus obiit iuxta vitam communem illorum temporum. Dicitur Abraham patriarcha noster, quoniam & noster pater dictus est, per fidem formans nos ad credendum Deo, & pater illorum per carnalem progeniem vocatur Melchisedech sacerdos summus, quoniam in ritu oblationis suæ, Christi sacerdotium figurauit: iuxta illud, Tu ex sacerdos in eternum secundum ordinem Melchisedech.

Sanctum sacrificium, immaculatam hostiam.

Aduerte quare solum fiat cōmemoratio trium in superiori periodo: videlicet propter mysteriū Trinitatis. Basilius autem in cōpositione sui canonis Græci multò plures commemorauit, vnde

Metho
di⁹ mar
tyr.

Pl. 109.

QVINTA PARS MISSÆ.

sic habet textus Græcanicus. Respice super nos Deus & super hanc nostrā latrīam, vt acceptam eam habeas, quemadmodum habuisti accepta munera Abel, immolationem Abrahæ, Moysi & Aaron sacrificia sacerdotum, Samuelis pacificas. Quemadmodum cepisti à sanctis tuis apostolis verain hanc latrīam, ita ex nobis peccatoribus, manibusq; nostris accipe hæc munera bonitate tua Domine. hæc ibi.

Supplices te rogamus omnipotens Deus, iube hæc perferri per manus sancti angeli tui in sublime altare tuum, in conspectu diuinæ maiestatis tuæ, vt quotquot ex hac altaris participatione sacro sanctum filij tui.

Sensus est, iube vota hæc fidelium, quibus offerimus sanctum hoc sacrificium perferri per manus sancti angeli tui in conspectu diuinæ maiestatis tuæ. Et hic passus, est Missa proprie, ubi mittitur & sacrificatur oblatio Christiana. Vnde Grego. Gregorius, Quis fidelium dubium habere possit, in ipsa immolationis hora, ad sacerdotis vocem celos aperiri, & ministeria chorosq; angelorum adesse, suminis iuna sociari, terrena celestibus iungi, vnum ex visibilibus & inuisibilibus fieri; Hæc Gregorius.

Innoç. Innocentius etiam dicit, Tantæ sunt profunditas verba in hac oratione contenta, quod intellectus humanus vix ea sufficit penetrare. Quando sa-

do sacerdos dicit, supplices eleuat parū in altum manus expansas, & postea cancellatis brachijs dextro super sinistrum, humiliat se, & osculatur altare in parte respiciēt Epistolam. Hęc brachiorum cancellatio repräsentat boni Christiani conditionem, & per cōsequens ecclesiæ: scilicet quod crucifixus sit Domino: & sic sub petitione ecclesiæ petit modò sacerdos: Dicens autem hoc, humiliat se profunde, ita ut caput veniat ad lumen altaris & pōst eleuans se osculatur altare in parte respiciente suam dextram. Notat osculum istud ecclesiæ militantis in sacerdote, & ecclesiæ triumphantis in altari repräsentatæ, vniōnē consentaneam in Christo vtriusq; capite angulari.

Corpus, & sanctuū sanguinem sumpsimus, omni benefictione celesti, & gratia repleamur.

Producuntur hic tres cruces, una super corpus, una super calicem, una super semetipsum sacerdotem corpore toto. Repräsentant poenas corporales sensualesq; & poenas spirituales ac intellectuales. Siquidem expositum fuit corpus diris supra modū torturis afflictū, & angebatur sp̄ritus ille diuinus afflictissimus, inexp̄sabilibus angustijs. Tertia verò crux repräsentat, utilitatis beneficium inde sequutū, quod expetimus: ideoq; obsignatur sacerdos.

Memento etiam Domine famulorum famularumq; tuarum.

QVINTA PARS MISSÆ.

Dionysius.7.ca.Ecclesiasticæ hierar.parte secunda,notat ritum,quem ecclesia Græcanica habuit à principio, in agenda pro mortuis, videlicet, vt celebrato sacro pro defuncto iam inter mortuorum sanctorum memorias recitato & connumerrato pacem ei salutemq; dicit sacerdos, oleo inungens corpus , vt reponatur in loculo sepultum.

Tertullianus item in Apologetico,meminit apostolicæ consuetudinis, dicens oblationes pro defunctis fiunt. Et in libr. de monogamia inquit: Enim uero relicta defuncti mariti pro anima eius orat,& refrigerium interim postulat,ac in prima resurrectione consortium. Et offert annuis diebus dormitionis eius", hæc ille. Chrysostomus item Tomo.4.dicit: Non temere, ab apostolis hæc sancta fuerunt, vt in tremendis mysterijs defunctorum agatur commemoratione,sciunt enim illis multum lucrum inde contingere, & multam utilitatem. Quum enim totus cõstiterit populus extensis manibus sacerdotalis plenitudo, & tremendū proponatur mysterium , quomodo Deum non exorabimus pro defunctis deprecantes? Sed hoc quidem de his qui cum fide migrarunt:cathecumeni verò,nec hac digni consolatione censemur, sed omni sunt tali suffragio priuati,præter viuum solum. Quod autem illud : Dare licet pro eis pauperibus,hæc ille. Damascenus etiam in sermone, Quod sacrī operationibus viuorum defuncti multum iuuentur, ait: quod præsens subsidium est animabus internalibus ea oratio quam in sarcis

Chrys.
Tomo
69.

Damascenus.

cris mysterij facit sacerdos. Assignat autem Ambrosius in oratione funebri de obitu Theodosij, rationem tricenarum Missarum, & quadragenarum, videlicet, ut dies quos legimus in sacris litanis obseruatos in luctu defunctorum, sancta mater ecclesia seruet in officio Missam pro defunctis celebrans. Hanc pro defunctis orare consuetudinem, intermittentibus aliquibus, correxit concilium Cabilonense, statuens in omnibus Missis memoriam fieri defunctorum, sicut ab antiquo seruabatur. Et ponitur de consec. d.i. Visum praeterea. Quod etiam districte praecepit Pelagius. 2. sec. d.i. huius nominis. 64. post Petrum, circa annos Doz Visum mini. 550. contra quosdam temeratores. Quoniam pterea. autem seruabatur etiam mos, ut inter sanctorum memorias recitarentur nomina defunctorum, corexit hoc Innocentius primus, discens non oportere nomina defunctorum exprimi. Et habetur de consec. d.i. De nominibus. Fuit hic Innocentius se. d.i. 41. post Petrum, circa annos. 407. Poterit tamen De nos ante sacrificia intimare sacerdos, pro quibus & quibus intendit orare, ut deuotiores astent laici, quemadmodum usq; ad nos fit in quibusdam ecclesijs. Quando sacerdos facit recollectionem eorum defunctorum pro quibus Missam celebrat vel orat, iungit manus usq; ad pectus suum eleuatas, vel barbam, ut aptius se recolligat. Qui vult verò ordinate procedere, aduertat ordinem charitatis, videlicet, ex obligatione naturali ad parentes & affines, ex obligatione benefacti, siue sit ele-

Q V I N T A P A R S M I S S A E.

emosyna perpetua, quæ beneficium dicitur, siue sit temporalis, seu votiva: & demum ex miseratione earum animarum, quæ non habent particulares benefactores, siue quæ maximas luunt poenas. Concludat autem sicut dictum fuit, pro viuis, offerens pro omnibus illis, pro quibus Deus scit, & vult eum teneri ad orandum, & eodem ordine quo scit & vult.

Qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis N. N. ipsis Domine, & omnibus in Christo quiescentibus, locum refrigerij, lucis, & pacis Ivt indulgeas depreciamur, per eundem Dominū nostrum, Amen.

Vocatur hic signum fidei baptismalis character, somnus autem pacis, charitas finalis in qua decesserunt. Petuntur autem opposita eorum, quibus opprimuntur: videlicet contra ignis incendium, siue materialis, siue metaphorici. Realiter enim torquentur animæ purgatorio incendio. Petitur refrigerium contra exteriorest tenebras, quibus obnubilantur in potentijs suis: petitur lux & claritas, quæ mentis est serenitas. Contra pugnam, & verinem corrodentem conscientiam, petitur pax & sedamen: quæ omnia per paradisi ingressum habentur, quæ locus est completæ beatitudinis, quæc petitur etiam nobis ad tempus nostri decessus.

Nobis

**Nobis quoque peccatoribus famul
lis tuis.**

Hic sacerdos eleuat altius vocem aliquantulū,
& percutit pectus suum. Repräsentat hoc latro-
nis confessionem, dicentis: Domine memento
mei, dum veneris in regnum tuum. Centurionis
etiam præconium: vere filius Dei erat iste. Iudeo-
rum etiam pœnitentiam reuertētium in sanctam
ciuitatem, percutiendo pectora sua, propter visa
terribilia portenta, quæ acciderunt, prout Lucas Luc. 8.
narrat.

De multitudine miserationū tua-
rum sperantibus, partem aliquam &
societatem donare digneris, cum tuis
sanctis apostolis & martyribus, cum
Iohanne, Stephano, Matthia, Barna-
ba, Ignatio, Alejandro, Marcellino,
Petro, Felicitate, Perpetua, Agatha.
Lucia, Agneta, Cecilia, Anastasia, &
cum omnibus sanctis tuis, intra quo-
rum nos consortium, non æstimator
meriti, sed veniæ quæsumus largitor,
admitte, per Christum Dominū no-
strum.

Hic non debet dici, amen, quia cum sequenti-
bus continuatur. Nominatur hic peccatores, ut

QVINTA PARS MISSÆ

sacramenti mereamur esse participes, quod pro peccatoribus institutum est. In plurali etiam vocantur diuinæ miserationes, propter multos effectus diuinæ misericordiæ iuxta psal. Reminiscere

Psalm. miserationum tuarum Domine. Partem petimus aliquam, quia in domo patris mansiones multæ sunt. Quum autem passio Christi sufficiat ad salutem, commemoratione martyrum fit ad exemplum, ut ait Ambrosius. Exornant enim memoria Christi passionis martyria sanctorum: ut videantur segetum culmi ex illo pullulasse semine. Et quum in priori cōmemoratione facta fuerit memoria sanctorum, qui passi fuerant intra primos trecentos annos à Christo, nunc eorum fit qui etiam post. 310. passi sunt. Considera mysteria. Iohannes Baptista ponitur hic coniugatus cum Stephano, ut finis veteris testamenti, ac præco noui, cum primo martyre, manifestatioq; teste noui testamēti, & ideo protomartyre copuletur. Reliqui duobus numeris comprehenduntur, videlicet senario & septenario: primus viris, secundus foeminis tribuitur. Numerus senarius, numerus est passiuus & receptiuus: nam & sex diebus cuncta creata sunt. Numerus septenarius, numerus est actiuus & operatiuus: nam & septem planetarum virtutibus celum potissimè agit in hæc inferiora. Notatur his omnes pressuras huius seculi versas in gaudium spiritus dilationemq; agente gratia Dei: quod in conuersione sex hydrarum aquæ in vinum Dominus significauit.

Ambro-
sius in
semōe
sācti. Pe-
tri, &
Pauli.

Item

Item & vltra consolationem agonistarū suarum effectrix est gratia Dei mirabilium operationum in foetura multorum credentī, propagationesq; quod in miraculo illo distributionis, multiplicationisq; septem hordeaceorum panum designabatur. Quapropter & sancta mater ecclesia foemina hunc septenarium numerum tribuit, ad dona sancti spiritus designandum, quæ operatritia sunt in ijs in quibus infunduntur. Siquidem & foeminae sunt, quæ pariunt. Ceterum qui viri sunt, robore dotantur, cuius ad perferendum opus est. Primus & secundus virorum apostoli Matthias & Barnabas, de ijs qui post ascensionem Domini apostolatus promeruere cacumen. Ideoq; ad hanc seruantur secundam commemorationem, quum primum locum sortiti iam sint ij, qui apostoli iam commandauere combibereq; Christo, inter quos Paulus ex priuilegio miscetur, & Ignatius famatissimus Domini testis in urbe Roma: cuius post mortem abstractum & incisum cor, dulcissimum nomen Iesu aureis literis inscriptum compertum est. Hic est qui epistolam ad beatam virginem Mariam scripsit, & ab ea promeruit responsuam, & esse familiaris eius. Adiit enim eam, vt videret quenam esset & qualis humana mortalis mulier, quæ Dominū orbis conditorem, verum Deum genuisset factum hominem, commoratusq; cum ea interfuit eius sepulturæ. Alexander is fuit, qui citatur in hoc tractatu apposuisse verba illa in Missa, Qui pridie

QVINTA PARS MISSÆ:

quām pateretur. Marcellinus Papa, qui prius
duo grana thuris idolis adoleuit metu percussus:
sed poenitentia ductus à Papatu se depositus, ad
quem iteratò à toto sancto Concilio inductus
est: constanterq; post martyrium est perpessus,
mandans sub excommunicationis poena, ne quis
cadauer suum sepeliret: sed apparens beatus Pe-
trus apostolus post triginta dies ab eius marty-
rio, iussit corpus eius sepeliri ad pedes suos. Alij
credunt hic fieri mentionem alterius Marcellini,
qui presbyter fuit, cuius exorcista fuit Petrus, qui
post eum ponitur, quorum amborum opera, Ro-
mæ media regio conuersa fuit ad Dominum, &
martyrizata. Fcminæ verò notiores sunt, quām
oporteat eas vulgare. Est autem aduertendum,
quantæ fuerint opinionis sancti isti, quos præce-
teris ad Canonem sanctum sunpsit sancta mater
ecclesia.

Per quem hæc omnia Domine semper bona creas, sanctificas, beneficias, & præfas nobis.

Producuntur tres cruces communes hostiæ & calicis: repræsentant tres Caluariæ cruces. Post hæc calix discooperitur à panno, & hoc repræsen-
tat secretorum antiquæ legis revelationem, quan-
do velum templi scissum fuit à summo vlcq; deor-
sum. Intellige verborū contexturam. Hæc omnia
bona sacramentalia creas, quantum ad substan-
tiæ panis & vini, quæ ibi fuerunt prius, sed mo-

dō iam non sunt: sanctificas, transubstantiando
in corpus & sanguinem Domini nostri: viuis-
cas nobis, quando restauras nos in gratiam sp̄iri-
tualem ijs mediantibus: benedicis, per hæc quoq;
multiplicādo gratuita: & præstas nobis, ad vsum
spiritualis potus & cibi. Accipit post hæc sacer-
dos hostiā reuerēter ad cruces faciendas cum ea,

Per ipsum, & cū ipso, & in ipso.

Notantur per has cruces tres horæ, quibus Do-
minus expendit in ligno crucis, antequam expi-
rasset. Et propterea ita sunt faciendæ, quod prima
sit eleuata in aere supra calicem: ita tamen, quod
non excedat calicis limites. Secunda bassius quam
prima à limbo calicis ad limbū. Sed tertia debet
fieri intra limbum calicis: & quia non potest du-
ci hostia ad signandam crucem intra limbum ca-
licis propter sui magnitudinem: quæ æquatur va-
sis capacitat, producitur hoc modo, quod hostia
vertitur lateraliter, & sic ex sui versione signatur
crux. Istæ cruces fiunt ita, quod prima est altior se-
cunda, & secunda altior plus quam tertia: & tertia
est omnibus profundior: quia penitentes Domini
crudelius erant afflictiæ, quuin propinquiores
fuerunt morti. Sumpta fuerunt hæc verba ab Apo-
stolo ad Romanos, prout Augustinus dicit su-
per eum locum: Per ipsum, tanquam per media-
torem: cum ipso, tanquam cum æquali: in ipso,
tanquam consubstantiali: est tibi honor, tanquam
Domino: & gloria, tanquam Deo, in redemptis.

Est tibi Deo patri omnis potenti

Q VINTA PARS MISSÆ.

in unitate spiritus sancti, omnis honor, & gloria.

Quando dicitur, est tibi Deo patri, producitur crux cum hostia à medio calice ad pectus sacerdotis, in eo spatio, quod est inter calicem & sacerdotem: quæ crux separationem animæ benedicitissimæ Christi à corpore & sanguine per mortem repræsentat. Et postea quando dicit, in unitate sancti spiritus, producit alteram crucem à limbo alto calicis usq; ad pedem, diuidens è regione nodi ipsius calicis: denotat realem descensum animæ Christi ad limbum sanctorum patrum. Et quando dicit, omnis honor & gloria, reponit parum hostiā super calicem, & ostendit aliquantulum populo: repræsentat hoc Domini resurrectionem eiusq; apparitiones, quibus suis se ostendit.

Per omnia secula seculorum, Amen.

Hic sacerdos parum eleuat vocem, & denotatur publica prædicatio resurrectionis Domini, non sine multis signis & mirabilibus. Responsio verò, Amen, symbolum est approbationis eiusdem resurrectionis ex multis argumentis. Innocentius vult quod clamor hic designet mortem Domini, quæ cum clamore valido fuit, & responsio lamenta mulierum. Quoniam autem hic concluduntur orationes, aduertimus ex eo consummationem eorum omnium, quæ de Christo prænuntiata erant, esse futura ante mortem, iuxta illud:

Con-

Consummatum est.

Oremus, Præceptis salutaribus
moniti, & diuina institutione formati
audemus dicere.

Septem petuntur petitiones in oratione Domini
nica, tria eterna, & quatuor temporalia. Aeterna
sunt (Sanctificetur nomen tuum) id est, efficiatur
sanctum & firmum in nos per gloriam tuam.
(Adueniat regnum tuum) id est, perpetuitas tuae
charitatis, per quam in nobis regnas (Fiat volun-
tas tua) petitur hic gratia ad euincendas rebellio-
nes contra Deum, & Dei leges. Temporalia sunt,
commodæ alimoniaz ad vitam degendam, vi-
ctusq; quotidianus (Panem nostrum quotidiana-
num) Item remissio peccatorum (Dimitte nobis)
Præuentio ad tentationes euincendas (Et ne nos
inducas) Liberatio finaliter ab omni malo : tam
poenæ, quam culpæ: tam corpori, quam spiritua-
li (Sed libera nos a malo, Amen.

Pater noster, qui es in celis, sancti-
ficeretur nomen tuum. Adueniat re-
gnum tuum. Fiat voluntas tua, sicut
in celo & in terra. Panem nostrum
quotidianum da nobis hodie. Et di-
mitte nobis debita nostra, sicut &
nos dimittimus debitoribus nostris.
Et ne nos inducas in temptationem: sed

QVINTA PARS MISSÆ.

libera nos à malo, Amen.

Quando minister respondet sacerdoti, sed libera nos à malo, sacerdos dicit voce submissa, amen. Et est tamen hoc, non affectus nota, & optantis à Deo conclusionem, sicut in alijs passibus: sed est nota confidentiæ exauditionem sperantis, iuxta Domini dictum: Quæcunq; oran-tes petitis, credite quia accipietis, & fiet vobis.

Libera nos!, quæsumus Domine, ab omnibus malis præteritis, præsen-
tibus, & futuris, intercedente beata
& gloria

Hic eleuat sacerdos patinam in altum, & tenet eam sic eleuatā' parumper. Notat hoc depulsum fuisse scandalum crucis, conualecente prædicatione resurrectionis Domini. Dictum fuit iam superius, quod patina designat sepulchrum, quia symbolum est lapidis positi ad ostium monumenti. Eleuatur autem quasi in signum, iuxta illud: Leuate signum, prædicate, dicite: Capta est Babylon, confusus est Babel.

Ier.50.
Semp̄r virginē Maria Dei genitricē, & beatis apostolis tuis Petro & Paulo, atq; Andréa, cum omnib; sanctis tuis.

Quando dicitur, Petro, tangit patina calicis pedem: quando dicit, Paulo, tangit nodum mediū: quando dicit, Andréa, tangit limbū superiore-

rem

rem calicis. Siquidem Petrus ex priuilegio Papa-
tus habuit, quod sit fundamentum ecclesiarum, Paulus
Ius ex prædicationis priuilegio, quod sit nodus
iungens duos populos in unum, Gentiles videlicet
et Iudeos in unum Christianum populum.
Andreas ex priuilegio iam desideratae crucis, &
modo mortis eius, denotat Christianorum vitam
actiuam, qualis esse debeat: quasi dicamus & pe-
tamus a Domino dari nobis fidem, per quam su-
per firmam petram fundati de numero simus
ouium Christi: charitate, per quam simus unum
per verbum Dei cum Paulo eius prædicatore:
spem, per quam cum Andrea erigamur ad su-
perna.

Da propitius pacem in diebus no-
stris, ut ope misericordiae tuæ adiuti,
& à peccato simus semper liberi, &
ab omni perturbatione securi.

Quando sacerdos dicit, Da propitius pacem,
osculatur patinam. Et quando dicit, ope miseri-
cordiae adiuti, signat se cum patina: ut notetur
omne bonum sperare nos per Christi passionem,
cuius symbolum est patina, sepulchri nota. Et
quando dicit, à peccato simus, tundit pectus pa-
tina, in peccatorum contritionem.

Per eundem Dominum nostrum
Iesum Christum filium tuum.

Quando dicebat sacerdos, perturbatione secu-

QVINTA PARS MISSÆ

li, discooperit calicem, remouēs pānum desuper,
in signum reuelationis mysteriorū illorum: quo-
niam sic oportuit Christum pati, & intrare in
Ioh. 20. gloriam suam: agente hoc & illuminante spiritu
sancto, qui Christi flatu datus fuit apostolis, vt
intelligerent quæ prius non intellexerant. Humi-
liet autem se toto corpore sacerdos, & accipiat
sanctam hostiam reuerenter inter digitos pollia-
ces & indices vtriusq; manus, & sic diuidat pau-
latim in duas partes æquales per medium hostię.
& retentis ambabus manu sinistra, sic disponat,
quod anguli duarum extremitatū faciant vnum
aracilium, & iungantur anguli inuicem in parte
superiori, licet non in inferiori. Notatur per hoc
vnum esse caput solum, & nostri, & eorum qui
in celo sunt, & qui sub terra.

**Qui tecum viuit, & regnat in vni-
tate.**

Sacerdos, quando dicit hæc verba, diuidit fra-
gmentum hostiæ, quod est ad partem manus si-
nistrae, & sub fragmento quod est ad partem ma-
nus dextræ: & accipit in digitis dextræ manus il-
lam diuisionis particulam, dicens:

**Spiritu sancti Deus, per omnia se-
cula seculorum, Amen. Pax Domi-
ni sit semper vobiscum.**

Frangitur hostia super calicem, vel patinam, ne
pereant aliquæ minutiae. Ista tres partes signifi-
cant differentias beatorum tres in finali retriba-
tione,

tione, secundum quod modò differenter reperiuntur, videlicet eorum, qui iam beatitudine potiuntur in celo, & eorum, qui certi sunt se potituros ea, sunt tamen in purgatorio: & eorum, qui licet non sint simpliciter certi de ea, sunt tamen conditionaliter certi adepturos seipsum, si videlicet in charitate decesserint, prout sumus nos, qui vivimus temptationibus immisisti plurimis: quod nosteratur per immisionem tertiae particule hostiae in calicem. Ideoq; cum ea particula signamus duas alias partes hostiae maiores, quæ in manu sinistra sunt, ad denotandum pacem, quain petimus contra tres inquietudines, quas habemus quandiu viuimus, ex mundo, ex diabolo, ex innato nobis carnis nostræ stimulo, sperare nos suffragijs tam sanctorum in gloria, quam amicorū nostrorum in purgatorio, qui Deo clarisunt. Nanque maior pars hostiae beatos signat in gloria, qui corpus Christi sunt mysticum. Minor verò ex qua sumpta est pars ea quæ sanguinis sacramento immiscetur, eos signat qui purgantur, qui quidem pauciores sunt, cum tertia particula quæ sanguinis tingitur sacramento, & in calice infunditur, nos repræsentet, qui pauciores sumus omnium numero, in perfectione vitæ Deo seruientes. Admissetur igitur intra calicem sacramento sanguinis, ut denotetur tot, & tantas esse pressuras & miseras nostras, vt semper egeamus gratia Dei per passionem Christi notata, in calice præcipue. Olim aliter hæc hostia partitio notabat, pro di-

QVINTA PARS MISSÆ.

uersitate ritus pro tunc seruati. Nam statim post divisionem pars vna calici infundebatur, notans corpus Christi resumpsisse sanguinem, resurrexisse: pars altera comedebatur, denotans Christi corpus super terram ambulans: tertia vero pars seruabatur usque ad finem Missæ, designans corpus Christi in sepulchro existens. Sic Sergius Pa-

pa. 85. post Petrum, anno. 689, declarauit: & habetur de cons. di. 2. triforme. In Missa quoque Gotthica secundum ordinationem Leandri, nouem partes hostiæ siebant: sed postea sancta mater ecclesia ritum hunc quem seruat, amplexata est, prout iam supra dictum est. Meminit Chrysostomus super Matthæum de usu salutandi populum per verba hæc: Pax Domini &c. & respondendi item: & cū spiritu tuo. Itaque iam ab omnibus his fuit in ecclesia Græca. Sed & Dionysius de ecclesiastica hierarchia meminit de usu hoc. Apud nos autem ex apostolica traditione dimanatum recitat Innocentius primus huius nominis in epistola decretali ad Decentium Eugubinum episcopum, ca. i. Fuit autem hic pontifex. 41. post Petrum, anno. 407.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Agnus dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Agnus dei, qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem.

Dicit invocationem hanc sacerdos, antequam parti-

De con-
sec. d. ij.
Trifor-
me.

Chrys.
Ho. 35.

Diony.
cap. 3.

Innoc.

particulam infundat in calicem. Et ordinavit Ser
gius Papa. ss. post Petrum, anno. 689. quod ter
cantaretur, propter trinam Christi Iesu agni ves
tri, peccata mundi tollentis operam: in passione,
morte, & resurrectione. Sumuntur verba ex Io
hannis primo: & dicebatur uniformiter tribus
viciis, Miserere nobis: sed postea ingruentibus
plurimis calamitatibus dictum fuit in tertia re
petitione, Dona nobis pacem. In Missis pro de
functis dicitur ter, Dona eis requiem.

Hæc sacrosancta commissio cor
poris & sanguinis domini nostri Iesu
Christi, fiat mihi, & omnibus sumen
tibus salus mentis & corporis, & ad
vitam æternam promerendam, & ca
pessendam præparatio salutaris, per
eundem Christum dominum nostrum,
Amen.

In aliquibus ecclesijs dicitur in conclusione, Te
præstante Deus noster, qui in trinitate perfecta
vivis & regnas, per omnia secula seculorum, Amé.
Et apostrophat ad Dominum Iesum præsentem
in speciebus: post hæc dicit orationem sequentem:

Domine Iesu Christe fili dei vivi,
qui dixisti apostolis tuis, Pacem meam
do vobis, pacem meam relinquovos
bis, ne respicias peccata mea, sed fidem
meam.

QVINTA PARS MISSÆ
ecclesiæ tuæ, eamq; secundum volun-
tatem tuam pacificare, & coadunare
digneris, Qui viuis & regnas deus,
per omnia secula seculorum, Amen.

Finita oratione ista, sacerdos humiliet se con-
gruè, & terzo ore ad sinistrum brachium, oscule-
tur hostiam reuerendè, dicens:

Fiat pax in virtute tua, & abundan-
tia in turribus tuis. Pax tecum, & o-
mnibus sumentibus in ecclesia dei.

Innocentius primus, de quo suprà dictum
est, correxit exorbitantiam quorundam Latino-
rum, qui sequebantur Græcorum usum in pacis
osculo dando ante consecrationem: quasi innixi
Domini dicto secundum Matthæum: Si offers
munus tuum ante altare: & ibi recordatus fueris,
quia frater tuus habet aliquid aduersum te: va-
de, & relinque ibi munus tuum ante altare, & re-
conciliare prius fratri tuo: & postea veniens offe-
res munus tuum, quod etiam usu erat in Missa-
libus Gotthicis a Leandro cōpositis. Indixit era-
go Innocentius, ne quis pacem daret ante conse-
cra misteria. Et habetur de consecratione distin-
ctione secunda, Pacem propterea quod pax non
datur nisi in symbolum consensu totius plebis
stantis cū clero & sacerdote sacrificulo ad mun-
danas perturbationes sedandas. Et ideo non da-
tur pax in Missa pro defunctis, quæ incipit, Re-

Matth.

De con-
sec. d. 2.
pacem.
Quare
non da-
eur pax
in Mis-
sa pro
defun-
ctis.

quiem

quiem æternam: quia iam non sunt permitti hu-
ius lecti turbibus, quemadmodum & nos Sic
adnotauit Glosator Decreti super cap. Pacem.
de con. ec. di. ij. Non datur etiam pax in monachis,
quia abstracti itidem sunt ab eisdem perturba-
tionibus mundi. Sic igitur in Missa de Requie,
non dicitur oratio supra posita: Domine Iesu
Christe, postquam non datur pax.

Glossa
tor de
creti.

Domine sancte pater omnipotens
æterne deus, da mihi corpus & san-
guinem filij tui domini nostri Iesu
Christi ita dignè sumere: ut per hæc
merear remissionem peccatorū meo-
rum accipere, & spiritu sancto reple-
ri, per eundem Christum dominum
nolstrum.

Domine Iesu Christe fili dei viui,
qui ex voluntate patris cooperante
spiritu sancto per mortem tuam mun-
dum viuificasti; libera me per hoc sa-
cro sanctum corpus & sanguinem
tuum à cunctis iniquitatibus meis, &
ab vniuersis malis meis: & fac me
tuis semper obedire mandatis: & à te
nunquam in perpetuū separari per-
mittas, Qui viuis, & regnas cum eo-

QVINTA PARS MISSÆ.

dem deo patre in vnitate eiusdem spi-
ritus sancti deus, per omnia secula se-
culorum, Amen.

Perceptio corporis & sanguinis
tui domine Iesu Christe, quam ego
indignus sumere præsumo, non mihi
proueniat ad iudicium neç ad con-
demnationē: sed pro tua pietate pro-
fit mihi ad salutem animæ & corpo-
ris, Qui viuis & regnas deus per o-
mnia secula seculorum, Amen.

Domine Iesu Christe non sum di-
gnus, ut intres sub tectum meum: sed
tantum dic verbo, & sanabitur ani-
ma mea.

Hæc oratio dicitur ter, & sumitur ex Matthæi
s. qua finita sacerdos humiliat se moderatè, & ele-
vata aliquantulum hostia super calicem, signat se
cum ea, non calicem, sicut aliqui non intelligen-
tes faciunt, & dicit orationem sequentem:

Corpus domini nostri Iesu Christi
custodiat me peccatorem, & perdu-
cat me pius pater in vitam æternam,
Amen.

Post sumptam hostiam, quam non debet den-
tibus terere, sed lingua mandere, humiliat se, calis

ei faciens reverentiam commodam, dicens:

Quid retribuam domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem sanguinis accipiam, & nomen domini inuocabo.

Accipit calicem in verbo, calicem, & cum e signat se, non altare, & dicit:

Sanguis domini nostri Iesu Christi custodiat animam meam in vitam æternam, Amen.

Sumit sanguinis Domini sacramentum reuerteret, & post sumptionem compleat orationem, dicens:

Laudans inuocabo dominum, & ab inimicis meis saluus ero.

Iteratò suinit, si quæ remanserint in calice reliquiae: & quando vadit ad cornu Epistolæ ad susmendas ablutiones, dicit orationem sequentem:

Quod oremus simus domine, pura mente capiamus, & de corpore & sanguine domini nostri Iesu Christi fiat nobis remedium sempiternum, Amen.

Corpus domini nostri Iesu Christi, quod ego indignus sumere præsumpsi, & sanctus sanguis eius, quo

SEXTA PARS MISSÆ.

potatus sum, inhæreant visceribus meis, & non mihi proueniant ad iudicium, neq; ad condemnationem: sed prosint ad salutem & redemptionem animæ meæ, & animabus omnium fidelium defunctorum, & perducant ad vitam æternam. Amen.

Aliqui sacerdotes addunt canticum, Nunc dimitis Domine &c. in redeundo ad medium altare. Sed & alij non discedunt à medio altaris ibi sumentes ablutiones, quod aptius est, & congruentius ad representandas significantias. Nam motus ille ad sumendas ablutiones, nil repræsentat: sacerdos autem quæcunq; facit in Missa, ad alicuius significationem agit. Et ecce completur quinta pars Missæ: sequitur sexta.

SEXTA PARS MISSÆ

AC E S T S E X T A P A R S Missæ, quæ est gratiarum actionis: & dicitur Cōmunion, & Postcommunion, secundum quod duas partes habet. Nam antiquitus in ecclesia primitiva omnes Christiani communicabant quotidie vtracq; specie, tam parui, quam magni, & etatis adultæ homines & mulieres, quod postea moderatum fuit currentibus temporibus. Et quia invalescebat iam mos abstrahendi se à publica

blica communione, priuatim communicantes & in domibus suis, prout iam dictum est supra: Zephelinus Papa. 15. post Petrum, anno. 208. statuit, quod omnes Christiani a duodecim annis & supra, cocommunicarent publicè sacramentum recipientes. Post haec Fabianus Papa. 20. post Petrum anno. 240. statuit ter in anno communicare laicos, videlicet in Paschate, Pentecoste, & Nativitate Domini. Et ponitur de consecr. d. iij. Et si no. Sed modo prout dicit sanctus Bonaventura in. 4. Sententiarum, ordinatum fuit ex concilio sic statuente & postea Innocentio tertio publicante, qui fuit. 182. post Petrum, anno. 1197. quod laici omnes cocommunicarent in Paschate resurrectionis; quia differentes communionem ab uno tempore in aliud, in nullo couminicabant. Habetur autem hoc in ca. Omnis vtriusque sexus, de poenitentijs & remissionibus. Cæterum ex causis multis rationibusque, quas partim refert Iohannes de Turcrecremata super Decretis de consecr. d. iij. capite Comperimus. inoleuit usus in ecclesia communicandi laicos sola panis specie, sicut ab initio nascientis ecclesiæ fuerat. Nam de communione legimus Actuum secundo. Erant autem perseverantes in doctrina apostolorum, & communicatio ne fractionis panis & orationibus. Similiter & sicut iam supra dictum est, Tertullianus adnotat usum communicandi, sed non nisi in specie panis. Ratificatum fuit hoc de communione sub forma panis specie in concilio Basiliensi, sessione. 30.

De consecr. d. iij.
incoena Domini.
Bonau.
+ Sent. d. 7. nu. 76.

De pœnitentius & remiss. De consecr. d. 2. Comperimus.

Aa. 2. g

SEXTA PARS MISSÆ.

Nam & multæ exorbitantia fiebant in communicatione calicis, quando cum fistulis haurientes singuli particulariter, multoties verteabantur species illæ sacrosanctæ, & nausea prouocabatur ex saliu scrididorum aliquorum relicta infistulis, quibus haurire oportebat. Cœciliū etiam Constantiense contra Boemos, & quoscunq; huius determinationis contradictores, idem corroborauit. Nec habent laici, quid causentur contra clericos, quoniam tota eucharistia communicant: vis delicit corpore, anima, diuinitate, & sanguine Domini nostri Iesu Christi, quæ omnia reperiuntur sub specie panis, omnia sub specie vini, hac sola interueniente differentia, quod si eucharistia consideretur, quantum ad efficaciam, eadem penitus est in utraq; specie, quū nihil sub una reperiatur, quod in alia non sit. Sicq; nil amplius recipiunt clerici quam laici. Si autem consideretur, quantum ad lignificationem, tunc quia aliter significatur corpus in specie panis, quam sanguis in specie vini, non est æqua sumptio. At sacerdos quum sit minister, debet repræsentare passionem Christi, in qua effusus fuit sanguis, & è corpore exhaustus, & ideo seorsum corpus consecrat, & sumit seorsum sanguinem. De his hactenus. Reundo ad propositum, loco eucharistiae, quæ astantibus distribuebatur postq; sacerdos sumpsierat, seruatur usq; adhuc usus benedicendi panes laicos die Dominica ad populum. Et continuatur usus cantandi laudes Deo de psalmis David,

David, que cantabantur inter communicandum plebes, & inde remansit ei nomen Cōmunionis. In Missa tainē de beata Virgine ponitur Communionis de quibusdam cautelenis decantari solitis in laudes Virginis beatæ, sic:

Beata viscera Mariæ virginis, quæ portauerunt æterni patris filium.

Post hæc populus salutatur ad orationem solitam fieri post Communionem in gratiarū actionem, de tanto præstito beneficio. Et inde remansit nōmē Postcōmuniōis. Hęc de ista sexta parte.

SEQVITVR PARS

septima & vltima Missæ.



VONIAM POST ASCENSIONEM Domini, misit Deus spiritum sanctū ad formandos suos vnde quaque in viros perfectos, & sub visibili forma, ut vēturus speraretur forma inuisibili, quoties opportunū fuerit: & vt ait Augustinus, votis sedulis expeteretur eius aduentus: inde in memoriam missionis illius & fidei, benedicit sacerdos plebi, dicens (finitis orationibus, quæ dicuntur Postcommuniones cum suis orationibus) orationes sequentes.

Aduerte autem, quod tot debent esse Postcommuniones, quot fuerunt Sacrae & orationes, servato semper numero impari propter unitatem. Nam binarius numerus diuidit unitatem, &

SEPTIMA PARS MISSÆ.

omnes numeri pares includunt binarium. Deus enim impari numero gaudet. Seruabitur idem ordo in dicendo Postcomuniones, si multæ fuerint, qui seruatus fuit in orationibus. Post omnes autem concludet sic generaliter in fine omnium.

Per omnia secula seculorum, amen.
Dominus vobiscum. Ite, Missa est. vel,
Benedicamus domino. vel, Requiescant
in pace. Deo gratias. vel, Amén.

Ex ista clausula, Ite, Missa est, autumantur quidam dici tota liturgia hanc, nominarique Missam. Sed iam de his supra in meminiimus. Nunc non intimatur plebi iam cōpletam esse liturgiam, seu sacram actionem hanc, sed missam iam oblationem veri corporis Christi, repräsentatam quoque resur rectionem Dominicam, decursumque Christi vique ad ascensionem, iam nunc de proximo repræsentandam. Sequitur:

Placeat tibi sancta trinitas vñ deus.

Eleuat sacerdos manus in celum, & iungit eas descendendo demittendoque eas, & repräsentat Domini ascensionem ad celos, ubi est ad dextram patris sedens.

Obsequiū seruitutis meæ, & præsta, ut hoc sacrificiū, quod oculis tuæ maiestatis ego indignus obtuli, tibi sit acceptabile, mihique & omnibus, pro quibus illud obtuli, sit te miserante

te propitiabile rex regum , qui in trinitate perfecta vivis & regnas deus, per omnia secula seculorum, amen.

Vertit se sacerdos, & faciens vnam crucem vel tres, benedicens populo vertit se in gyrum circumlariter. Quod notat sicut iam supra dictum est, quod omnibus, & gentibus & Iudeis pertineat Christi benedictio.

In unitate sancti spiritus bene dicat vos pater & filius, Amen.

Alia benedictio,

Benedictio dei omnipotentis patris, & filij, & spiritus sancti descendat, & maneat super vos, amen.

Quando dicit Mislam coram episcopo in suo episcopatu, antecipet det benedictionem, vertit se ad episcopum, & reuerendè se humiliat expectans ab eo licentiam. Et quando episcopus signat ei, quod det benedictionem: ipse sacerdos dat benedictionem ad duas alias partes: & in ea parte, in qua est episcopus, non dat benedictionem: sed expectat eam ab illo. Si vero episcopus fuerit extra episcopatum suum, hoc non curat sacerdos, sed procedit dans benedictionem, nullam faciens eius mentionem. Idem dicitur de cardinali & legato, intra terminos suæ legationis. Ritus hic benedicendi populo expletis tunc Moyses & Aaron inchoarunt, de quibus scribitur Leuitici nono, quod completis legalibus sa-

Leui. 9.

SEPTIMA PARS MISSÆ;

crisicijs egressi benedixerunt populo.

Dominus etiā noster ascendens in celum, bene-

Luc. 4: dixit apostolis eleuatis manib⁹, prout Lucas scri-

Nu. 6. d. bit vicesimoquarto. Modus autē & efficacia be-

nedicōnis Iudaicæ scribitur Numeri sexto, vbi

sic habetur: Loquere Aaron, & filijs eius. Sic be-

nedicetis filijs Israel, & dicetis eis: Benedicat tibi

Dñs, & custodiat te: ostēdat faciē suam, tibi &

misereatur tui. Conuertat Dominus vultū suum

ad te, & det tibi pacē. Inuocabuntq; nomen meū

super filios Israel: & ego benedicā eis. Hęc textus.

super quo Galatinus ait fuisse moris apud sacer-

dotes summos in benedicendo populo, quando

nomen inuocabant Domini tetragrāmaton, in-

uocare illud erectis tribus digitis anbarum pal-

mārum, duobusq; depresso, in figura sanctissimę

trinitatis. Ad quod etiā in testimoniu adducit ali

quot testimonia Rabi Mosis ben Maimonis

Aegyptij. Datur autem nobis ordinante sancta

matre ecclesia de consec.d.5. Nunquid per signū

crucis benedictio, & in nomine patris, & filij, &

spiritus sancti: sicut à Domino edocti sumus spe-

rantes efficaciam cęlestis benedictionis: sicut etiā

eadem sancta mater ecclesia docet. i. q. i. dictū est.

Ea propter nullus Christifidelium debet ecclesiam

egredi, quoad usq; completa sit benedictionis hu-

ius forma, prout etiam sancitum est.

Quando sacerdos vult deponere vestes sacras:

expleta liturgia, dicit canticum, Te Deum lauda-

mus, vel in quadragesima, aut quando nō dicitur

Gloria

Galat.
libr. 2.
cap. 9.

De con-
sec. d.5.

Marti-
viiimo

Gloria in Missa, dicit: Benedictus Dñs Deus
Iſrael: aut si fuerit in tēpore nativitatis Dñi, euangeliū lohānis primo: In principio erat verbū, &c.

OPERIS PERORATIO.

PERVENIMVS TANDEM PER gratiam Dei, à quo bona cuncta procedunt, ad portū desideratū, optimi saecerdotes: reliquum est, vt Domino gratias per plures agamus, deuotis affectibus exoscētes, vt qui dedit intelligere rectē, det & deuotē tractare sacrosancta mysteria in beneplacito suo, vt tandem qui in vita ista sui sumus, quamuis indigni, milites & ministri, in altera cum eo triumphemus, & conregnemus, per infinita secula securorum, Amen.

SEQVITVR SVMMARIA
recollectio mysteriorum Missæ.

SEPTEM SVNT PARTES Missæ: Prima dicitur præparatio. Secunda, dispositio. Tertia, oblatio. Quarta, consecratio. Quinta, cōmuniono, Sexta, postcommunio. Septima, gratiarum actio.

Septem sunt salutationes. Prima, Dominus vobiscum, ad orationem. Secunda ad Euangelium. Tertia, ad offertorium. Quarta, ad præfationem. Quinta, ad fractionē hostiæ quando dicitur, Pax Domini sit semper vobiscum. Sexta ante post communionem. Septima finita postcōmunione.

RECOLLECTIO.

Septies eleuat manus in altum supplices. Primò, ad Gloria in excelsis Deo. Secundò, ad Credo. Tertiò, ad Gratias agam. Quartò, ad Te igitur. Quintò, Supplices te rogamus. Sextò, ad Placeat tibi. Septimò, ad Rex regum, &c.

Ter se humiliat profundè. Primò, in spiritu lenitatis. Secundò, Te igitur. Tertiò, Supplices te rogamus, iube hæc perferri.

Septies vertit se populo. Primò, ad Dominus vobiscum, ante orationem. Secundò, ad Offertoriū. Tertiò, Obsecro vos fratres. Quartò, ad Dominus vobiscum ante Postcōmunionem. Quintò, dicta Postcōmunione. Sextò, dans benedictio nem. Sed duæ versiones sunt circulares, videlicet, Obsecro vos fratres, & ad benedictionem. Aliæ quatuor semicirculares incompletæ.

Nouem sunt ordines faciendi crucis mysteriorū significatiuas in canone Missæ.

Primò fiunt tres crucis, quando dicitur, Hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia. Notant à quibus passio Christi definita fuit, videlicet, à sanctissima trinitate, id dante humanitate Christi sese offerente, & scelestis illis iniquis procurantibus affectata.

Secundò, fiunt tres crucis, quando dicitur, Bene dictam, ascriptam, ratam. Significant Domini afflictiones, ex resistentia præcipue hominum peruersorum respuentium salutem propriam, Dominiq; beneficia gratis oblata, quum & pro benefactis retribuentium persecutionem & mortem,

secunda

Secundum corda sua mala.

Tertiò fiunt duæ crucis in verbis, Nobis cor-
pus & sanguis. Notant afflictionem spiritus Do-
mini, ex eo quod duæ nationes sic voluntariè in
mortem suam conspirarunt, Iudeorum videlicet,
ex quibus natus erat, & Gentilium ad quos vni-
endos secum venerat.

Quartò fiunt quinqꝫ crucis in verbis, Hostiam
puram, hostiā sanctam, hostiam immaculatam,
panem sanctum vitæ æternæ, & calicem salutis
perpetuæ. Notant quinqꝫ plagaꝫ principales, &
in eis cætera omnia letalia vulnera corporis san-
ctissimi: quando à planta pedis usqꝫ ad verticem
non fuit in eo sanitas.

Quintò, fiunt tres crucis in verbis, Corpus &
sanguinem sumiserimus omni benedictione cele-
sti & gratia repleamur. Notant poenæ Domini
corporeas & spirituales, ac fructum nobis ex eis
desideratum.

Sextò, fiunt tres crucis in verbis, Sanctificas, vi-
uificas, benedicis. Notant tres crucis in Caluariae
monte, diuersimode Dominum cruciantes, vide-
licet latronis pereuntis cuius miserebatur, & non
erat eum iuuare respuentem operas eius latronis
seruati, cuius reatus purgabat, is ipse qui absolu-
uens eum à purgatorio participem fore promisit
paradisi suæ. Et crucis suæmet, in qua diuersè an-
xiatus est doloribus multiplicibus, item matris
poenis, item astantiū suorum, item absentiū, &c.

Septimò, fiunt tres crucis in verbis, Per ipsum,

RECOLLECTIO.

& cum ipso, & in ipso . Notant horas tres , quis
bus seruator pependit in ligno.

Octauo,
fiunt due
cruces in
ybis, Est
tibi Deo

patri in vnitate spiritus
sancti Notant morte rea=
lem Christi per separatio=
nem ani=
matæ à cor=
pore , &
descësum
christi ad
suū patrē.

Nonò, fiunt

tres cruces in ver-

bis, Pax Domini sit
semper vobiscum . No^m
tant effectus , quos expeti=
mus à sancta passione Christi , con=
tra inimicos tres distrahentes nos alege=
Dei, videlicet mundum , carnem , diabolum .

INDEX INSIGNIO_s
rum capitum, quæ in hoc
libello continetur.

Q Vid sit Missa, & de eius nominib ⁹ . fo. 5.a.	
Quare dicatur Missa, & de alijs nominis bus eiusdem. fo. 9.a.	
De ceremonijs canonicis Missæ primarijs, & proprijs. fo. 1.a.	
De ceremonijs accidentalibus & aduētitijs Mis- sa. fo. 15.b.	
De partibus Missæ. fo. 18.a.	
De introitu Missæ. fo. 20.b.	
De excrescentijs Missæ. fo. 25.b.	
De vestimentis sacris ad sacram liturgiā. fo. 28.a.	
De administratione specierum, & accessu ad al- tare. fo. 33.a.	
De confessione, & præcedentibus sacram litur- giam. fo. 36.b.	
De prima parte Missæ. fo. 41.a.	
De secunda parte Missæ. fo. 47.b.	
De tertia parte Missæ, quæ dicit̄ oblatio. fo. 52.b.	
De quarta parte Missæ q̄ dicit̄ cōsecratio. fo. 54.b.	
De Canone. fo. 58.b.	
De Memento. fo. 62.b.	
De communicantes infraactione. fo. 64.b.	
De sacrosancti mysterij consecratione. fo. 68.a.	
De quinta parte Missæ. fo. 71.b.	
De sexta parte Missæ. fo. 84.b.	
De parte septima & vltima. fo. 86.a.	
Recollectio suminaria mysteriorū Missæ. fo. 76.a.	

F I N I S.



